EXAMINE SOLENNI IN ALIUD TEMPUS DILATO, PRO PROGRAMMATE EDUNTUR

COMMENTARII

DE

GYMNASIO GRYPISVALDICO

ANNUI,

QUIBUS PRAEFATUR

DE ALIQUOT ANTIGONAE LOCIS DISPUTANS

JOANNES [redacted]
GYMN. PRORECTOR.

GRYPISVALDIAE MDCCCXXVI
TYPIS EXPRESSIT FRID. GUIL. KUNIKE, UNIVERSITATIS LIT. GRYP. TYPOTHETA.

Quum Breithauptius, cuius viri animi candor doctrinaeque amplitudo laudibus ſatis iuſtis ornari non poteſt, Gymnaſii noſtri hiſtoriam inde a primis temporibus repetitam eſſet conſcripturus; mihi autem faciendum videretur, ut novis meis civibus ſpecimen aliquod exhiberem, non eruditionis, quae in me aut nulla aut per eſt exigua, ſed fidei religionisque, quam in veterum ſcriptorum interpretatione coluiſſem, facile a viro humaniſſimo impetravi, ut ſuum mihi tempus concederet. Circumſpicienti igitur mihi, quid potiſſimum, quod huic ſcriptioni eſſet idoneum, eligerem, in mentem venit aliquot Antigonae locorum, quibus, quum hieme proxime ſuperiori discipulis meis Friedlandienſibus fabulam enarrarem, ab noviſſimi editoris ſententiis recedendum mihi eſſe exiſtimabam. Ex multis igitur paucula quaedam ſelecta paullo nunc uberius dedi tractata. Satius enim duxi, etiamſi, id quod ſummis viris accidiſſe video, errarem, palam quae ſentio profiteri, doctioribusque monendum me et meliora docendum praebere, quam tacite in opinionibus temere conceptis perſtare. Si vero, quorum intereſt, intellexerint, me non coeco aliquo impetu ruere, nec prima quaeque in medium prolata arripere, ſed quamque rem, quantum per vires licet, diligenter et ſtudioſe perpendere, operae pretium feciſſe mihi videbor, ſin a quopiam meliora edoctus fuero, benificii cumulum accepiſſe me arbitrabor, namque (Ant. 716.)

— — Φήμ' ἔγωγε πρεσβεύειν πολὺ
φῦναι τὸν ἄνδρα πάντ' ἐπιστήμης πλέων.
εἰ δ' οὖν, φιλεῖ γὰρ τοῦτο μὴ ταύτῃ ῥέπειν
καὶ τῶν λεγόντων εὖ καλὸν τὸ μανθάνειν.

Ex illis autem locis, quos nunc mihi ſumpſi perluſtrandos, unus eſt Ant. v. 2, ubi Hermannus Seidlero obſecutus ſcripſit

ἆρ' οἶσθ' ὅ τι Ζεὺς τῶν ἀπ' Οἰδίπου κακῶν
ὁποῖον οὐχὶ νῷν ἔτι ζώσαιν τελεῖ;

Quod vero Seidlerus, ut coniecturam ſuam ὅ τι ὁποῖον ſtabiliret, Platonem dixiſſe πῶς τί τοῦτο adfirmat, ad Heindorfii notam Hipp. M. p. 166 nos ablegans, illud quidem nihili eſt. Nam etiamſi Plato ita dixiſſet, neque continuo ſequeretur, ut Sophocles eadem loquendi formula uſus fuiſſet, neque, ſi quis πῶς τί dixit, certo evincitur, eundem quoque τί — ποῖον dicturum fuiſſe. Illud enim eſt ubi modo et ratione fieri et intelligi poſſit, namque res quaeri poteſt ſimulque quo confiat modo; hoc autem τί — ποῖον ineptam habet tautologiam. Attamen ut melius cognoscamus, quae illa ſit Platonis auctoritas, locos in hanc rem laudatos accuratius perpendamus. Ac primum quidem Jo. p. 350. a. hodie legitur: τί οὖν; ἠγωνίζου τι ἡμῖν; καὶ πῶς τι ἠγωνίζου; atque illud rectiſſime; non enim reſpondet Jon, cujus generis certamina edidiſſet, ſed: τὰ πρῶτα τῶν ἄθλων ἠνεγκάμεθα, ὦ Σώκρατες. Eadem eſt ratio Tim. p. 22, b. πῶς τι τοῦτο λέγεις, ubi Pariſinus unus habet πρός, in quo facile librarii ſanandi conatum cognoscas. Phileb. p. 58. in. σὺ δὲ τί πῶς, ὦ Πρώταρχε, διακρίνοις ἄν; ubi tamen lectionis eſt varietas, quae momentum faciat. Venetus enim dat: τί καὶ

πῶς in quo interpretamentum habeas. τοῦτ' autem praeter codd. Parif., Coislin., Vatican., Venet., quos Beckerus contulit, Clarckianus etiam praebet, quae Stallbaumio fuit caufa, ut Beckeri lectionem, quam adoptaverat, in novis fuis curis reiiceret, legendum fuadens: σὺ δὲ δὴ πῶς τοῦτο, caufamque addens „nam Socrates nunc non quaerit: τί διακρίνοις ἂν καὶ πῶς διακρίνοις, fed alterum tantummodo fibi vult indicari". Quae quamquam fapientiffime disputat, lectionem tamen non perfuadet. Ut enim fit religiofum, omittere τοῦτο, quod tot habent boni libri, temiritatis eft, τί, quod omnes habent, mutare in δή. Interpunctione iuvandus eft locus, σὺ δὲ τί; πῶς, ὦ Πρώταρχε, διακρίνοις ἄν; intellecto τί οἴει ex praecedenti ἔγωγε οἶμαι, quam mutationem, admodum eam levem, iis fe probaturam effe fpero, qui totum locum cognoverint. Eadem eft ratio loci Soph. p. 261. e, ubi Bafil. II habet: πῶς; τί τοῦτ' εἶπας; ut πῶς fit mirantis, qui ufus a Platone non eft alienus, cf. Apol. p. 24 extr. ubi, poftquam Socrates Meletum interrogavit, quis iuvenes redderet meliores, ille: οὗτοι, inquit, ὦ Σώκρατες, οἱ δικασταί, quo facto Socrates: πῶς λέγεις, ὦ Μέλητε; οἵδε τοὺς νέους παιδεύειν οἷοί τέ εἰσι καὶ βελτίους ποιεῖν; — Ad eundem igitur modum refingenda erunt, quae praeterea ad feruntur iftius dictionis exempla. Licet enim intelligi poffit πῶς τί λέγεις; quid quomodo dicis? i. e. quid dicis, et quibus caufis adductus? cf Stallb. ad Plat. Phileb. p. 133; aut, quid dicis, et quo modo interpretaris ea quae dicis? — nullo modo intelligi poteft: πῶς τί τοῦτο λέγεις; namque: πῶς τοῦτο λέγεις idem plane eft, quod τί τοῦτο λέγεις, quae res fi operae pretium effet, multis exemplis confirmari poffet. quodque fenfiffe videtur ipfe accerrimus formulae πῶς τί τοῦτο adfertor Heindorfius ad Plat. Hipp. M. §. 51. Quum vero toties habeatur apud Platonem abfolute (i. e. verbo non addito) interrogans τί μήν; τί δέ; τί δαί; τί οὖν; καὶ τί; τί δ' οὔ; atque aeque nude pofitum: πῶς; καὶ πῶς; καὶ πῶς ἄν; πῶς γὰρ ἄν; πῶς δή;

πῶς δ' οὔ; quumque, ubi particulae πῶς pronomen interrogativum adjungitur, nunquam non accedat copula, velut: πῶς τούτω καὶ τίνε λέγεις; ποίας καὶ πῶς; πῶς δὴ καὶ ποίων λέγεις; πῶς οὖν ἂν λευκοῦ καὶ τίς καθαρότης ἡμῖν εἴη; ποίαν καὶ πῶς λέγεις; πῶς λέγεις τοῦτο καὶ τίνι τεκμηρίῳ χρῇ; πῶς δὴ καὶ τίνων; ποίας δὴ καὶ πῶς; ποίας δὴ καὶ πῶς λέγεις; quid iſtas terſiſſimo ſcriptori ſordes obtrudimus, quidni potius eleganter et venuſte dictum πῶς; τί τοῦτο λέγεις; Theaet. p. 146. d. et πῶς; τί τοῦτο; ibid. p. 208 extr. ſubſtituamus pro impeditis illis πῶς τί τοῦτο λέγεις; et πῶς τί τοῦτο; quae Heindorſius invexit, — nam Beckeri horum locorum lectionem videre mihi non contigit. In Politico p. 297 ſine ulla quidem varietate legitur πῶς τί τοῦτο εἴρηκας; ſed interrogationis ſignum illatum ne pro mutatione quidem haberi poteſt. Unus denique reſtat locus Hipp. M. 297, e. πῶς τί ἄρ' ἂν ἀγωνιζοίμεθα; qui aut pro corrupto habendus, aut, quod durius etiam eſt, πῶς τί pro ſimplici πῶς eſt accipiendum. Namque licet multae dictiones apud Graecos frequenti uſu a priſtina ſua vi et poteſtate degenerarint, velut πλὴν ἀλλά, ἀλλ' ἤ, πλὴν ἀλλ' ἤ et multa alia, veſtigia tamen ſuae cuique poteſtatis remanent. Hoc τί autem poſt πῶς illatum, nihil habet, quo ſe commendet vel tueatur; qui vero inutiliter aliquid dictum novis inutiliter dictis defendit, haud optime de literis graecis merere mihi videtur.

Quae autem praeter hos locos Platonicos allata ſunt exempla, aliam ſequuntur illa rationem; in nullo enim eorum una eademque interrogatio duabus effertur vocibus interrogativis, ſed una eademque enunciatio duas complectitur interrogationes. Cuius quidem generis e Sophocle enotavi haec: Trach. 420. τίς πόθεν μολών; Aj. 1164. τίς ἄρα νέατος ἐς πότε λήξει πολυπλάγκτων ἐτέων ἀριθμός; ubi cf. Herm. Philoct. 1079. τοῦ ποτὲ τεύξομαι σιτονόμου μέλεος πόθεν ἐλπίδος; et quae ex hac ipſa fabula protulit Seidlerus v. 397 ἄγεις

δὲ τήνδε τῷ τρόπῳ πόθεν λαβών; et 1322 οὐδ' ἔχω ὅπα πρὸς πότερον ἴδω. His addi possunt, quae exclamative efferuntur; Antig. 840. οἵα φίλων ἄκλαυτος οἵοις νόμοις πρὸς ἕρμα τυμβόχωστον ἔρχομαι τάφου. Ibid. 933. οἷα πρὸς οἵων πάσχω. Aj. 906. οἷος ὢν οἵως ἔχεις. Electr. 741. οἷ' ἔργα δράσας οἷα λαγχάνει κακά. Quum igitur Hermannus Oed. Col. 392 scriberet: τίς δ' ἂν τι τοιοῦδ' ἀνδρὸς εὖ πράξειεν ἄν; eodem negotio scribi potuit: τίς δ' ἂν τί τοιοῦδ' κ. τ. λ. non enim respondetur, qui emolumenti aliquid sint capturi, sed quid emolumenti ab Oedipo sint capturi; qui autem illi sunt, Thebani ne nominantur quidem. Quae igitur attulimus et Seidlerus et ego, iis hujus loci interpretatio proficeret, si haberemus:

ἆρ' οἶσθ' ὁποῖα τῶν ἀπ' Οἰδίπου κακῶν
τίς οὐχὶ νῷν ἔτι ζώσαιν τελεῖ; — —

plane autem diversum est, quod nobis h. l. legendum proponitur: τί-ποῖον τῶν κακῶν. Quum enim illa omnia, singulis sententiis binas interrogationes elegantissime comprehendentibus, venustam habeant breviloquentiam, haec nostra insulsam necesse est habeant tautologiam. Quis enim unquam dixit τίς ποῖος; si ferri posset, scribi potuisset Ant. 1035 ἆρ' οἶδεν ἀνθρώπων τις, ἆρα φράζεται — ΚΡΕΩΝ τί χρῆμα; ποῖον τοῦτο πάγκοινον λέγεις; scribi igitur potuisset τί χρῆμα ποῖον; τοῦτο πάγκοινον λέγεις. quam rem qualem? generatim enim et universe loqueris; namque ne Aj. 734 ποῖον τί δ' εἰδώς; neve: ποῖόν τι δ' εἰδώς; scribatur, vel addita vetat particula δέ.

Atqui nemo istud τί-ποῖον ferat, neque Hermannus ipse tulit, qui, ut verborum insolentiam quodammodo tolleret, ὁποῖον pro ὅπως dictum accipit, vertens: „quid non perficiens, quo non perficit modo, vel sine interrogatione: nihil non mali nullo non modo perficit," sui ipsius praecepti immemor, quod dedit ad Ant. v. 57. „Apud Sopho-

clem quod vulgo legitur ἐπ' ἀλλήλοιν χεροῖν plane putidum eſt propter caſus, quos ſoni ſimilitudo coniungi conſtructio disiungi poſtulat; non minus enim h. l. ſonus conjungi poſtulat ὅτι-ὁποῖον, neque minus Hermannus, quae ſono conjunguntur interpretatione ſua divellit. Et eſt hoc quidem aliquid, non vero in eo ſunt omnia. Relativa enim: οἷον, οἷα, ὁποῖον, ὁποῖα ſaepe ſane adverbialiter dicta leguntur, velut Phil. 580 οἷ' ἀνὴρ πένης, ibid. 273 οἷα φωτὶ δυσμόρῳ, quamquam ejusmodi praeceptis, quibus alterum pro altero poſitum praeſcribitur, non multum tribuendum cenſeo, quum pleraque ſua vi et poteſtate bene perpenſa, commode explicari poſſint, quemadmodum Hermannus ad Oed. Col. 1636 ὦ παῖδε, τλάσας χρὴ τὸ γενναῖον φρενὶ χωρεῖν τόπων ἐκ τῶνδε ſuo iure vetat, ne τὸ γενναῖον pro γενναίως dictum accipiamus; eſt enim: φρενὶ τλάσας τὸ γενναῖον τλῆναι animo tolerantes, quod toleratu eſt generoſum, i. e. quod generoſarum eſt tolerare. Ex praecedenti enim verbo aliam ejusdem verbi formam nonnumquam eſſe eliciendam ſatis conſtat. Quamvis igitur uſus adverbialis in pronominibus relativis obtineat, in pronominibus interrogativis eundem obtinere etiamnunc doceri volo. Quod enim Hermannus ad Phil. 278 ποῖ' ἐκδακρῦσαι; ποῖ' ἀποιμῶξαι κακά; „ποῖα, inquit, hic bis poſitum pro πῶς," id quidem non continuo, ut poſtea videbimus, perſuadebit, neque talia huc pertinent, qualia leguntur Electr. 258. ἔπειτα ποίας ἡμέρας δοκεῖς μ' ἄγειν, ὅταν θρόνοις Αἴγισθον ἐνθακοῦντ' ἴδω τοῖσιν πατρῴοις; ubi ſunt qui ποίας adverbialiter dictum exiſtiment.

Simulac vero utroque pronomine, et τίς et ποῖος eſt opus, aut interpunctione aut particula disiunguntur. Oed. Tyr. 99. ποίῳ καθαρμῷ; τίς ὁ τρόπος τῆς ξυμφορᾶς; ibid. 1117. ἔργον μεριμνῶν ποῖον, ἢ βίον τίνα; ibid. 1122. τί χρῆμα δρῶντα; ποῖον ἄνδρα καὶ λέγεις; Antig. 1212. ὦ τλῆμον, οἷον ἔργον εἰργάσαι; τίνα νοῦν ἔσχες; ἐν τῷ ξυμφορᾶς διεφθά-

ρης. Denique in toto Sophocle nullum hujus interrogationis per τί-ποῖον enunciatae exemplum invenitur, nam El. 230 post καλόν in Ed. min. Erf. interrogationis signum operarum errore est omissum, et Oed. T. 557. πόσον τίν' ἤδη δῆθ' ὁ Λάϊος χρόνον - τίν' est encliticum accentu retracto.

Non autem cum duplici interrogatione in unam coalescente ii sunt loci confundendi, ubi in una eademque interrogatione idem pronomen vel eadem particula propter animum commotum vehementiae causa repetitur, quemadmodum Antig. 1271 τί μ' ἄρα, τί μ' ὀλέκεις; ibid. 1282. τίς ἄρα, τίς με πότμος ἔτι περιμένει. Oed. T. 1209. πῶς ποτέ, πῶς πόθ' αἱ πατρῷαι σ' ἄλοκες, quorum quidem locorum ratio non est alia, atque eorum, in quibus non interrogative enuntiatis vehementiae causa eadem ejusdem vocabuli repetitio locum habet, ut Antig. 1304. ἐγὼ γάρ σ' ἐγὼ ἔκανον, ὦ μέλεος ἐγώ.

Ille vero particularum ὡς et ὅτι post οἶδα similiaque verba positarum usus, quo abundare videntur, latissime quum apud alios scriptores tum apud Sophoclem patet. De quo quum uberrime disseruerit Amersfoordt ad Dem. Or. de Symmoriis, cf. Schäfer Apparat. crit. Tom. I. p. 735, itemque Bornemann ad Xen. Anab. II, 6, 24, satis habebo nonnulla e Sophocle ejusdem vel consimilis locutionis exempla in medio proposuisse. Ac statim quidem occurrit Antig. 276. πάρειμι δ' ἄκων οὐχ ἑκοῦσιν, οἶδ' ὅτι: hoc autem et similibus locis non construendum esse: οἶδα δέ, ὅτι ἄκων οὐχ ἑκοῦσι πάρειμι, alii docent loci, ubi οἶδα, non addito ὅτι, absolute ponitur, ut Oed. Col. 667 seq. κείνοις δ' ἴσως κεἰ δείν' ἐπερρώσθη λέγειν τῆς σῆς ἀγωγῆς, οἶδ' ἐγώ, φανήσεται μακρὸν τὸ δεῦρο πέλαγος οὐδὲ πλώσιμον. ibid. 856. χρόνῳ γάρ, οἶδ' ἐγώ, γνώσει τάδε, atque hoc aliquanto fortius ac vehementius est dictum, quam quod contra libros post Brunckium et Erfurdtium Hermannus scripsit Antig. 469. ἀλλ' ἴσθι τοι τὰ σκλήρ' ἄγαν φρονήματα πίπτειν μάλιστα pro πίπτει, quod dicit: sed

ne tibi non dictum causeris, animus nimis superbus maxime labitur. Neque locus Oed. T. 1126 εὖ γάρ, οἶδ᾽ ὅτι, κάτοιδεν battologiae crimen effugere poterit, nisi οἶδ᾽ ὅτι, absolute dictum acceperimus, quemadmodum Antig. 754. ἀλλ᾽ οὐ τόνδ᾽ Ὄλυμπον, ἴσθ᾽ ὅτι, χαίρων ἐπὶ ψόγοισι δεννάσεις ἐμέ. Huius autem generis tam multa in omnibus Sophocli fabulis habentur exempla, ut plura etiam congerens rem omnium facerem inutilissimam.

Eodem autem ii quoque pertinent loci, ubi verbis εἰδέναι, ἐπίστασθαι cum participio coniunctis ὡς insuper additur ex abundantia. Quod si vero in illis ὡς ut signum cogitationis, quam dicunt, subiectivae, additum censemus, multo minus tolerandam habemus tautologiam, quum quidquid illud ὡς significare potest, satis imperativis ἴσθι, ἐπίστασο sit comprehensum. Recte igitur Engelhardt Plat. Apol. §. 23. ὡς δεινόν τι οἰομένους πείσεσθαι, εἰ ἀποθανοῦνται dicit ὡς οἰομένους πείσεσθαι pro ὡς πεισομένους non ferenda esset tautologia. Huius generis exempla apud Sophoclem sunt Antig. 1050 ὡς μὴ 'μπολήσων ἴσθι τὴν ἐμὴν φρένα. Phil. 253 ὡς μηδὲν εἰδότ᾽ ἴσθι μ᾽ ὧν ἀνιστορεῖς. Ibid. 563. ὡς ταῦτ᾽ ἐπίστω δρώμενα. Oed. Col. 1579. ὡς λελοιπότα κεῖνον τὸν αἰεὶ βίοτον ἐξεπίστασο. Oed. T. 841. ἀλλ᾽ ὡς φανέν γε τοὔπος ὧδ᾽ ἐπίστασο, i. e. ut in uno exemplo eam, quae in omnibus inest, duarum constructionum conglutinationem, unde illa particularum ὡς et ὅτι abundantia originem habet, ostendam: ἀλλ᾽ ἐπίστασο τοὔπος φανέν γε ὧδε, et ἀλλ᾽ ἐπίστασο ὡς τοὔπος ἐφάνη γε ὧδε.

Ad hunc usum alia quoque accedunt verba ut Philoct. 413. ὡς μηκέτ᾽ ὄντα κεῖνον ἐν φάει νόει. Trach. 286. αὐτὸν δ᾽ ἐκεῖνον — φρόνει ὡς ἥξοντα. Non pro certo affirmaverim eandem esse rationem Oed. T. 948 πατέρα τὸν σὸν ἀγγελῶν ὡς οὐκ ἔτ᾽ ὄντα Πόλυβον ἀλλ᾽ ὀλωλότα et Electr. 869. ἀλλ᾽ οὐχ ὕβρει λέγω τάδ᾽, ἀλλ᾽ ἐκεῖνον ὡς παρόντα νῷν, quum utroque in loco ὡς suam potestatem, quam cum participio coniunctum ple-

rumque habet, ſervare poſſit, quamque ſervare mihi videtur Trach. 1222 ὡς ἐργασείων οὐδὲν ὧν λέγω θροεῖς et Aj. 319. καὶ δῆλός ἐστιν ὥς τι δρασείων κακόν. Denique ut uberius oſtendam, quam illa duarum conſtructionum confuſio, et quae inde eſt nata particularum ὡς et ὅτι abundantia Sophocli fuerit adamata, pauca etiam, prolatis non abſimilia proferam. Electr. 1333. ἤγγειλας ὡς ἔοικεν ὡς τεθνηκότα. Antig. 1256. ὡς ἔοικας ὄψε τὴν δίκην ἰδεῖν. Quo quidem loco, quum ὡς commode pro quam accipi poſſit, multorum tamen ſimilium locorum, quae interpretationem habent minime dubiam, analogia ducti, Hermanni explicationem probandam cenſemus. Simillimus autem eſt, ad quem ipſe provocat Ant. 736. ὅδ' ὡς ἔοικε τῇ γυναικὶ συμμαχεῖν. Similiter Oed. T. 1171. ὡς ἄλλην χθόνα δοκῶν ἀποίσειν i. e. δοκῶν ὡς ἀποίσοι et δοκῶν ἀποίσειν, ut ὡς neque pro εἰς accipiendum ſit, quod, niſi cum hominibus illud eſt coniunctum, a Graecorum uſu abhorret, neque pro καθά, quod jam in δοκῶν ineſt. Sic enim ſentio. Ἔφηκα (ſc. τὸν παῖδα τῷ γέροντι) ὡς δοκῶν ἀποίσειν eſt: ſeni puerum tradidi, quum cogitare mihi viderer, illum eſſe ablaturum etc. Hoc autem quum tautologice mihi dictum videatur pro: ὡς ἀποίσοντι, Brunckii interpretationem perſuadere mihi nondum potui, quamquam facile concedo, haud paucas loquendi formulas frequenti uſu aliquantum de vi et poteſtate ſua primaria perdidiſſe. Aj. 347. ὡς ἔοικας ὀρθὰ μαρτυρεῖν ἄγαν, ambiguum non erit, utrum ὡς ſit quam, an ut, niſi forte ambiguum eſt, utrum praeſtet, necne, inſulſam vitare tautologiam. Oed. C. 386, ἤδη γὰρ ἔσχες ἐλπίδ', ὡς ἐμοῦ θεοὺς ὤραν τιν' ἕξειν. Trach. 1228. ἀνὴρ ὅδ' ὡς ἔοικεν οὐ νέμειν ἐμοὶ μοῖραν. Ibid. 1231 ὡς ἔοικας ὡς νοσεῖς φράσειν, i. e. ἔοικας φράσειν ὡς νοσεῖς, quamquam propter ſigmatismum in poëta πολυσιγμῷ non relinquenda erat librorum lectio: ὡς ἔοικας ὡς νοσεῖς φράσεις, quum feramus Oed. T. 1468. ὡς τὰς ἀδελφὰς τάσδε τὰς ἐμὰς χέρας. Eodem denique pertinet Aj. 371. οὐ γὰρ γένοιτ' ἂν ταῦθ' ὅπως οὐχ ὧδ' ἔχειν. Trach. 364. καὶ νῦν ὡς ὁρᾷς, ἥκει

δόμους ὡς τούσδε, ubi ὡς ſua ſede motum in errores induxit; neque enim mutandum eſt quidquam, neque ὡς δόμους pro εἰς δόμους accipiendum, ſed coniungendum: ὡς ὁρᾷς, ὡς ἥκει i. e. aut ὡς ὁρᾷς ἥκει, aut ὁρᾷς, ὡς ἥκει. Similiter enim ὥστε et ὡς tranſpoſita Phil. 1378. οὐδέποθ' ἑκόντα γ' ὥστε τὴν Τροίαν ἰδεῖν pro: ὥστ' οὐδέποθ' ect. El. 514. κακῶς κλύουσα πρὸς σέθεν θαμά. πατὴρ γάρ, οὐδὲν ἄλλο σοι πρόσχημ' ἀεί, ὡς ἐξ ἐμοῦ τέθνηκεν.

Quum igitur tam late apud Sophoclem pateat illa dicendi formula, qua duae diverſae conſtructiones coaleſcunt, quaque fit, ut ὅτι poſt οἶδα, οὐκ οἶδα, εὖ οἶδα poſitum tam ſaepe abundet, nonne ſatius videbitur, hoc quoque loco duarum conſtructionum conglutinationem ſtatuere, quam tautologicam illam omnique analogia carentem duorum pronominum interrogativorum in una interrogatione ineptam cumulationem? Dictura enim fuiſſe videtur Antigona: ἆρ' οἶσθ' ὅτι Ζεὺς τῶν ἀπ' Οἰδίπου κακῶν οὐδὲν νῷν ἔτι ζώσαιν οὐ τελεῖ. Inter dicendum autem pro οὐδὲν νῷν ἔτι ζώσαιν οὐ τελεῖ, fortius illud et ferventioris ingenii virgini convenientius ὁποῖον οὐχὶ νῷν ἔτι ζώσαιν τελεῖ; animo vehementer commoto occurrit, qui orationis exitus, ab initio diſcrepans, eo minus Sophocli erat defugiendus, quo uberiori illud genus dicendi analogia ſuſtentatur. His unus ex Sophocle plane geminus adcedit locus Oed. T. 1388. ἆρά μου μέμνησθ' ὅτι, οἷ' ἔργα δράσας ὑμίν, εἶτα δεῦρ' ἰὼν ὁποῖ' ἔπρασσον αὖθις, ubi Hermannus: „Genuina, inquit, ſi quid usquam, vulgata eſt, modo memineris, anacoluthon in ea eſſe. Dicturus erat: ἆρά μου μέμνησθ' ὅτι, οἷ' ἔργα δράσας, εἶτα τοιαῦτ' ἔπρασσον." Similius non eſt ovum ovo, quam is locus noſtro. Seidleri autem tentamen, eum ad illam rationem, qua noſtrum intelligit, refingentis, atque ὅ τι pro ὅτι coniectantis, irritum eſt. Ut enim utriusque loci eam, quam ille probat, reſtitueret ſimilitudinem, ſcribendum erat aut ἅττα — ὁποῖα, aut ὅ τι — ὁποῖον, quorum neutrum verſus, alterum nec orationis con-

textus recipit; namque *οἱ ἔργα δράσας* interiecta ſunt, et conſtructio procedit ſic: *ἆρα μέμνησθ' ὅτι — ὁποῖα ἔπρασσον*, meminiſtisne quibus rebus perpetratis qualia huc accedens rurſus perpetraverim.

Quod denique Hermannus dicit *νῷν ζώσαιν* eſſe dativum, ita credam verum eſſe, ſi doctus fuero, non abſurdum eſſe h. l. cogitare, *πάντα τὰ κακὰ οὐ θανούσαιν νῷν, ἀλλ' ἔτι ζώσαιν Ζεὺς τελεῖ* non eſſe genitivum, ſed dativum. Aut enim inepte additum eſt *νῷν ζώσαιν*, aut contrarium *νῷν θανούσαιν* negatum cogitari certe poteſt. Loci a Seidlero allati Trach. 302. *ὦ Ζεῦ τροπαῖε, μήποτ' εἰσίδοιμί σε πρὸς τοὐμὸν οὕτω σπέρμα χωρήσαντά ποι, μηδ' εἴ τι δράσεις, τῆσδέ γε ζώσης ἔτι*, eatenus quidem alia eſt ratio, quod Deianira, captivas conſpicata puellas, non de malis loquitur, quae ſibi ſed quae liberis ſuis accidere poſſint, illud autem in utroque loco idem eſt, quod ad *μηδὲ — τῆσδέ γε ζώσης ἔτι* contrarium, neque illud abſurdum, *ἀλλὰ δρᾶσον τῆσδε θανούσης* cogitari poteſt. Denique comparare iuvat Electr. 972. *τοιαῦτά τοι νὼ πᾶς τις ἐξερεῖ βροτῶν, ζώσαιν θανούσαιν θ' ὥστε μὴ 'κλιπεῖν κλέος*, quamquam genitivorum ex *κλέος* aptorum alia eſt ratio.

---

v. 3—5. *οὐδὲν γὰρ οὔτ' ἀλγεινὸν, οὔτ' ἄτης ἄτερ,*
οὔτ' αἰσχρόν, οὔτ' ἄτιμον ἔσθ' ὁποῖον οὐ
τῶν σῶν τε κἀμῶν οὐκ ὄπωπ' ἐγὼ κακῶν.

In hoc vexatiſſimo loco, ut a fine initium faciam, *οὐ — οὐκ ὄπωπα* unam faciunt negationem, „quod negatio — ſunt autem Hermanni verba — nonnullis interiectis, quaſi antea non poſita repetitur." Cuius generis exempla in Sophocle habentur haec: Trach. 1010. *οὐ πῦρ, οὐκ ἔγχος τις ὀνήσιμον οὐκ ἀποτρέψει.* Phil. 414. *ἀλλ' οὐχ ὁ Τυδέως γόνος, οὐδ' οὑμπολητὸς Σισύφου Λαερτίου οὐ μὴ θάνωσι.*

Antig. 1026. τάφῳ δ' ἐκεῖνον (immo δὲ κεῖνον, non enim Polynices aliis, ſed inſepultus ſepulto opponitur) οὐχὶ κρύψετε, οὐδ' εἰ θέλουσ' οἱ Ζηνὸς αἰετοὶ βορὰν φέρειν νιν ἁρπάζοντες ἐς Διὸς θρόνους, οὐδ' ὡς μίασμα τοῦτο μὴ τρέσας ἐγὼ θάπτειν παρήσω κεῖνον, qui eſt ſimilis duplicis οὐδέ uſus, atque in Plat. Apol. §. 4. οὐδὲ γ' εἴ τινος ἀκηκόατε, ὡς ἐγὼ παιδεύειν ἐπιχειρῶ ἀνθρώπους, οὐδὲ τοῦτο ἀληθές. Oed. T. 1081. οὐ τὸν Ὄλυμπον, ἀπείρων, ὦ Κιθαιρὼν, οὐκ ἔσει. Electr. 1052. οὐ τὰν Διὸς ἀστραπὰν καὶ τὰν οὐρανίαν Θέμιν δαρὸν οὐκ ἀπόνητοι. Similiter μὴ — μηδέ pro ſimplici ne — quidem Phil. 169. οἰκτείρω νιν ἔγωγ', ὅπως, μὴ του κηδομένου βροτῶν μηδὲ σύντροφον ὄμμ' ἔχων, δύστανος — νοσεῖ. Itaque ὁποῖον οὐ τῶν σῶν τε κἀμῶν οὐκ ὄπωπ' ἐγὼ κακῶν eſt: quale ego inter tua et mea non vidi mala.

Iam particula οὔτε quater deinceps poſita non habet, quod quemquam offendat, quinquies enim deinceps poſitum οὔτε habemus Trach. 1047.

κοὐ ταῦτα λόγχη πεδιάς, οὔθ' ὁ γηγενὴς
στρατὸς Γιγάντων, οὔτε θήρειος βία,
οὔθ' Ἑλλάς, οὔτ' ἄγλωσσος, οὔθ' ὅσην ἐγὼ
γαῖαν καθαίρων ἱκόμην, ἔδρασέ πω, quo quidem in loco inutilis eſt animadverſio, Ἑλλάς dictum eſſe pro Ἕλλην, quae, ut vera ſit, aliam parit etiam inutiliorem, ad ἔδρασε intelligendum eſſe τις. Nonne etiam docebimur θήρειος βία eſſe θὴρ βιαῖος? Atqui neutro horum opus eſt. Namque ἄγλωσσος, ex ſequenti γαῖαν ſi intelligimus γῆ, eſt ἡ βάρβαρος γῆ, et Ἑλλάς eſt Graecia ipſa; ea denique eſt poëtici ſermonis libertas, ut, ſicubi dicatur, neque Graeciam neque ullam barbariem aliquid feciſſe, iam Graecorum vel barbarorum aliquis intelligatur. Μήτε autem quater ἐκ παραλλήλου poſitum eſt Oed. T. 237. τὸν ἄνδρ' ἀπαυδῶ τοῦτον — μήτ' εἰσδέχεσθαι μήτε προσφωνεῖν τινά, μήτ' ἐν θεῶν εὐχαῖσι μήτε θύμασιν κοινὸν ποιεῖσθαι, μήτε χέρνιβας νέμειν,

nam quartum illud *μήτε* post *εὐχαῖσι* interiectum est, deinceps autem posita sunt *μήτ' εἰσδέχεσθαι, μήτε προσφωνεῖν, μήτε κοινὸν ποιεῖσθαι, μήτε χέρνιβας νέμειν.* Non igitur necesse est, ut nostro loco divisio instituatur bipartita, quam suasit Seidlerus, qua *οὔτ' ἄτης ἄτερ* iterum divisa essent in *οὔτ' αἰσχρὸν , οὔτ' ἄτιμον.* Talis enim ubi sit inchoanda divisio bipartita, cuiusque loci natura totaque orationis conformatio satis manifesto indicat, velut Aj. 1178 *ἐκεῖνος οὔτε στεφάνων, οὔτε βαθεῖαν κυλίκων νεῖμεν ἐμοὶ τέρψιν ὁμιλεῖν, οὔτε γλυκὸν αὐλῶν ὄτοβον, δύσμορος, οὔτ' ἐννυχίαν τέρψιν ἰαύειν.* Οὔτε autem vel *μήτε* repetitum interdum eodem redire, quo in oratione affirmativa *ἤ* repetitum non negaverim, quamquam, quid inde lucrifacimus? Si enim v. c. Oed. C. 250. *πρὸς σ' ὅ τι σοι φίλον ἐκ σέθεν ἄντομαι, ἢ τέκνον, ἢ λέχος, ἢ χρέος, ἢ θεός,* haec igitur si negative enuncianda essent, nonne dicendum erat: *πρὸς σ' οὐδὲν ὅ τι σοι φίλον ἐκ σέθεν ἄντομαι, οὔτε τεκνόν, οὔτε λέχος, οὔτε χρέος, οὔτε θεός,* an vero *ἤ* repetitum servari potuit? Haud equidem opinor, neque magnopere a quoquam probatum iri, si loco a Seidl. allato Antig. 1141 legeretur: *οὐκ ἔσθ' ὁποῖον στάντ' ἂν ἀνθρώπων βίον ἢ αἰνέσαιμ' ἄν, ἢ — μεμψαίμην ποτέ.*

Denique *ἄτης ἄτερ* pro adiectivo est, *ὄν* intellecto, cuius quidem generis apud Sophoclem late patentis unum tantummodo proferam exemplum Aj. 459. *πῶς με τλήσεταί ποτ' εἰσιδεῖν γυμνὸν φανέντα τῶν ἀριστείων ἄτερ* sc. *ὄντα.* Imitatus est Homerum Il. 21. 49 *τὸνδ' ὡς οὖν ἐνόησε ποδάρκης δῖος Ἀχιλλεὺς γυμνὸν ἄτερ κόρυθος τε καὶ ἀσπίδος.* Eiusdem autem generis sunt et quod profert Schaefer Melet. crit. p. 115. Philoct. 31. *ὁρῶ κενὴν οἴκησιν ἀνθρώπων δίχα* et ibid. 485. *ἀλλὰ μή μ' ἀφῇς ἔρημον οὕτω χωρὶς ἀνθρώπων στίβου.* Recte igitur, quod reponebant, *ὄντ' ἀτήριον* pro interpretamento non autem pro lectione haberi potest.

Quid autem est *ἄτη*? Hermannus vertit: flagitium. Atqui alienum est a toto Sophoclis consilio, Oedipum con-

fingere flagitiis coopertum, atque flagitiosum nobis proponere miserandum. Immo in facinora incidit, atrocia quidem, sed inscius et invitus. Nullo modo flagitia patri tribuerit Antigona, ut quae dicat Oed. C. 239 ἔργων ἀκόντων ἀΐοντες αὐδάν. Ipse vero Oedipus affirmat ib. 267. τά γ' ἔργα μου πεπονθότ' ἐστὶ μᾶλλον ἢ δεδρακότα. Namque (Ant. 50) Oedipus ἀπώλετο πρὸς αὐτοφώρων ἀμπλακημάτων, ubi ne quis iterum flagitia videat cf. Ant. 550 καμπλάκω τοῦ σοῦ μόρου, quod Hermannus vertit: etiam mortis tuae societate priver, i. e. ἁμαρτάνω, et 901. καὶ παῖς ἀπ' ἄλλου φωτός, εἰ τοῦδ' ἤμπλακον. Iam Chorus Antig. 590 ἀρχαῖα τὰ Λαβδακιδᾶν οἴκων ὁρῶμαι πήματα φθιτῶν ἐπὶ πήμασι πίπτοντα, non autem videt flagitia renascentia. Oed. Col. 525 ipse Oedipus: ἤνεγκον, inquit, κακότατ', ὦ ξένοι, ἤνεγκον, ἄκων μέν, θεὸς ἴστω· τούτων δ' αὐθαίρετον οὐδέν (ex Reisigii enim recensione locum transcripsi, quum Hermannianae lectionis veritatem persuadere mihi nondum potuerim. Ibid. 529. κακᾷ μ' ἐν εὐνᾷ πόλις οὐδὲν ἴδριν γάμων ἐνέδησεν ἄτᾳ, nisi forte ipse se excusaturus, delicta, quae invitus commisit, flagitia dicit. Ibid. 543. ἔπαθον ἄλαστ' ἔχειν — ΧΟ — ἔρεξας — ΟΙΔ — οὐκ ἔρεξα — ΧΟ — τί γάρ; — ΟΙΔ — ἐδεξάμην δῶρον etc. quibus sequentia concinunt. Non igitur tam fuerit invenustus atque inverecundus Sophocles, ut, qui numquam, nisi de invitis Oedipi delictis loquatur, hoc loco filiam, et piam illam, nulla cogente necessitate de patris flagitiis querentem inducat.

Neque vero ἄτη unquam apud Sophoclem flagitium sonat. De vocabuli potestate, quam apud Homerum obtinet, suo modo, i. e. ita disputavit in Lexilogo Buttmannus, ut rem confecerit. Iam igitur de Sophocle φιλομήρῳ videamus. Atque significare apud eum videtur ἄτη 1. mentis perturbationem vel dementiam quandam a diis immissam. Antig. 1244. Chorus de Creonte οὐκ ἀλλοτρίαν ἄταν, ἀλλ' αὐτὸς ἁμαρτών. Ibid. 618. τὸ κακὸν δοκεῖν

ποτ' ἐσθλὸν τῷδ' ἔμμεν, ὅτῳ φρένας θεὸς ἄγει πρὸς ἄταν· πράσσει δ' ὀλιγοστὸν χρόνον ἐκτὸς ἄτας. Atque haec quidem prima mihi huius vocabuli poteſtas eſſe videtur, cui ſi accedit, ut mentis perturbatione a vero aliquis abducatur, oritur ἀπάτη et ἀπατᾶν. Etſi enim haec illius vocabuli origo et a Buttmanno et ab aliis negatur, nondum tamen alias mihi perſuadere potui eius origines, huius meae opinionis aſſertorem nactus et Arcadium, de Accent. p. 123. l. 26. πλάτη καὶ ὠμοπλάτη, ἄτη καὶ ἀπάτη; et, ne extra meos fines egrediar, Sophoclem ipſum, qui ἀπάτη ita uſurpat, ut parva, atque adeo nulla ſententiae mutatione ſcribere potuiſſet ἄτη, velut Antig. 611. ἁ γὰρ δὴ πολύπλαγκτος ἐλπὶς πολλοῖς μὲν ὄνασις ἀνδρῶν, πολλοῖς δ' ἀπάτα κουφονόων ἐρώτων. Quae autem illa ſit ἀπάτα κουφονόων ἐρώτων, in ſequentibus explicatur: τὸ κακὸν δοκεῖν ποτ' ἐσθλὸν τῷδ' ἔμμεν, ὅτῳ φρένας θεὸς ἄγει πρὸς ἄταν etc. 2. delictum, mentis perturbatione commiſſum. Chorus de Oedipo, Oed. T. 1202. ἄταις ἀγρίαις ξύνοικος, i. e. qui delicta atrocia admiſit, non autem flagitia, hoc enim alienum eſt et a ſedata Chori perſona et ab iis, quae ſequuntur v. 1212: ἐφεῦρέ σ' ἄκονθ' ὁ πάνθ' ὁρῶν χρόνος. Recte igitur de Aiacis quoque delictis per inſaniam commiſſis dicitur Aj. 628. ὦ τλάμων πάτερ, οἵαν σε μένει πυθέσθαι παιδὸς δύσφορον ἄταν. Ibid. 123. ἄτῃ συγκατέζευκται κακῇ. 3. culpa delicto concepta. Trach. 846. ἁ δ' ἐρχομένα μοῖρα προφαίνει δολίαν καὶ μεγάλαν ἄταν, i. e. eventus docet Deianiram dolo deceptam immenſam culpam ſuscepiſſe. Aj. 355. μὴ — πλέον τὸ πῆμα τῆς ἄτης τίθει, ne fac, ut malum gravius ſit, quam culpa. Aj. 194. ἄταν οὐρανίαν φλέγων, i. e. Hermanno interprete: culpam immenſum quantum urere faciens, i. e. nimio te dolore exurens propter ea quae feciſti. 4. mala delictis parta, aut mala per ſe, ut de delictis non cogitetur. Oed. C. 1244. ὣς καὶ τόνδε κατάκρας δειναὶ κυματοαγεῖς ἄται κλονέουσιν ἀεὶ ξυνοῦσαι. Oed. T. 1283. ὁ πρὶν παλαιὸς δ' ὄλβος ἦν πάροιθε μὲν ὄλβος δικαίως· νῦν δὲ

τῇδε ϑἡμέρᾳ στεναγμὸς, ἄτη, ϑάνατος, αἰσχύνη etc. De Herculis et Philoctetae dolorum cruciatibus Trach. 997. τήνδ' ἄτην, 1072. ἄτης σπασμός, 1094. τυφλῆς ἄτης caeca peſtis, Phil. 699, δακέϑυμος ἄτα. Electr. 990. τίς οὖν — ἄλυπος ἄτης ἀπαλλαχϑήσεται. Ibid. 922. ἐγὼ δὲ σὺν χαρᾷ λόγους τοιούσδ' ἔχουσ' ἔσπευδον, οὐκ εἰδυῖ' ἄρα ἵν' ἦμεν ἄτης. Similiter Oed. C. 790 ἄνατος κακῶν et Antig. 480 ἀνατεί. Huc proxime accedunt ii loci, ubi animi dolores et cruciatus indicantur, ut Electr. 228 ἀλλ' οὖν εὐνοίᾳ γ' αὐδῶ — μὴ τίκτειν σ' ἄταν ἄταις ne animi dolores novis augeas doloribus. cf. ibid. 208, 217 et ἀτύζομαι v. 146; ἀτῶμαι Aj. 262. ἡμεῖς ἄρ' οὐ νοσοῦντες ἀτώμεσϑα νῦν. Denique eſt ubi ἄτη ſit, quod eſt malorum ſummum, pernicies. Antig. 185. τὴν ἄτην ὁρῶν στείχουσαν ἄστοις ἀντὶ τῆς σωτηρίας. Ibid. 313, ἐκ τῶν γὰρ αἰσχρῶν λημμάτων τοὺς πλείονας ἀτωμένους ἴδοις ἂν ἢ σεσωσμένους. Ibid. 529. οὐδ' ἐμάνϑανον τρέφων δύ' ἄτα κἀπαναστάσεις ϑρόνων. Oed. C. 92. κέρδη μὲν οἰκίσαντα τοῖς δεδεγμένοις, ἄτην δὲ τοῖς πέμψασιν. Et, nequid praetermiſiſſe videamur Aj. 300 tectum ovibus caeſis refertum dicitur στέγος πλῆρες ἄτης, quaſi domus peſtis plena, et Electr. 1290 ἀλλ' ὡς ἐπ' ἄτῃ τῇ μάτην λελεγμένῃ στέναζ' intelligitur nuncius de fratris obitu. In multis autem locis quum ſingulae poteſtates ita aliae in alias transeant, ut interdum discernere nequeas, cui plurimum adtribuendum ſit ponderis, hoc quidem pro certo habere poſſis, ἄτην numquam ſignificare flagitium.

Neque enim profecto h. l. Antigona de patris flagitiis, ſed de malis loquitur ſuis. Extremum enim eorum quae proferuntur obtinet locum οὔτ' ἄτιμον, quod, quid ſit, diſcimus v. 22. τὸν μὲν προτίσας, τὸν δ' ἀτιμάσας ἔχει, alterum ſepelivit, alterum inſepultum proiecit; v. 76. σοὶ δ' εἰ δοκεῖ, τὰ τῶν ϑεῶν ἔντιμ' ἀτιμάσασ' ἔχε i. e. iusta mortuis ne perſolve; v. 895. καίτοι σ' ἐγὼ 'τίμησα τοῖς φρονοῦσιν εὖ, quod dicitur de fratre pulvere conſperſo; Oed. C. 1411. μὴ

μ' ἀτιμάσητέ γε, ἀλλ' ἐν τάφοισι θέσθε κἀν 'κτερίσμασιν. De Antigonae denique ſupplicio Ant. 1056. ψυχήν τ' ἀτίμως ἐν τάφῳ κατοικίσας. Eodem igitur redit h. l. ἄτιμος, quo v. 1058. ἄμοιρον, ἀκτέριστον — νέκυν. Jam, opinor, videmus, Antigonam ἄτιμον dixiſſe de Polynice, cui iuſta non contigiſſet ſepultura. Hoc autem non Oedipi erat flagitium, ſed Antigonae malum. Cetera quoque vocabula, ἀλγεινόν, ἄτης ἄτερ, αἰσχρόν, utrum ſuam;quodque certam rem ſignificet, necne, neque refert quidquam, neque continuo dixerim, quamquam veri haud diſſimile videatur, ἀλγεινόν ſignificare caedes ſuorum, αἰσχρόν autem naſcendi conditionem, qua de re Tireſias Oed. T. 367. λεληθέναι σε φημὶ σὺν τοῖς φιλτάτοις αἴσχισθ' ὁμιλοῦντ' et ſimiliter ſimili in re de Clytemneſtra Electr. 576. et 583. αἴσχιστα et αἰσχρῶς dicitur. Quidquid autem illud eſt, Antigona his de rebus non tamquam de Oedipi flagitiis, ſed ut de ſuis loquitur malis.

Singulis igitur rebus diligenter perpenſis nihil iam reliquum eſt, quod vetet, ne vertamus: neque enim quidquam triſte, neque culpa vacans, neque turpe, neque ignominioſum eſt, quod inter tua et mea mala ego non viderim.

Hermanni huius loci interpretandi ratio eſt illa valde ſubtilis. Prudenter enim dixit, οὐδὲν — οὐ duas ſe invicem tollentes habere negationes (cuius quidem dictionis exempla apud Sophoclem non inveniuntur); οὐδὲν οὔτε — οὔτε autem non ſublatis ſed repetitis negationibus dici, quia diviſionem contineret rei negatae in partes, quas ipſas quoque negari par eſſet. Quam rem in Suphocle ubique obviam probaturus ex Demoſthene affert exemplum contrariam ſequens rationem, „partibus prius, deinde toto poſito Phil. III. p. 111, 27. ὅτι οὔτε μικρὸν οὔτε μέγα, οὐδὲν τῶν δεόντων ποιούντων ὑμῶν κακῶς τὰ πράγματα ἔχει“, cui addere licet, quod in iisdem paene verbis a loco Sophocleo

non eſt diverſum, Plat. Apol. §. 3. ὧν ἐγὼ ȣ̓δὲν ȣ̎τε μέγα ȣ̎τε σμικρὸν πέρι ἐπαΐω. Sed exemplis, quae millena proferri poſſunt, non eſt opus ad probandam rem nemini negatam. His igitur conſtitutis ſui ipſe praecepti everſor exoritur Hermannus. Pergit enim: „ex his igitur patet, omnia ſe recte habitura eſſe, ſi ſic ſcripſiſſet Sophocles: ȣ̓δὲν γὰρ ȣ̓κ ἀλγεινόν, ȣ̓δ' ἄτης ἄτερ, ȣ̓δ' αἰσχρόν, ȣ̓δ' ἄτιμόν ἔσθ' ὁποῖον ȣ̓ τῶν σῶν τε κἀμῶν ȣ̓κ ὄπωπ' ἐγὼ κακῶν.“ — Minime vero. Nam ſi ȣ̓δὲν ȣ̓ negationes habet invicem ſe tollentes; ſequentes autem negationes ȣ̓ — ȣ̓κ ὄπωπα unius tantummodo negationis vim habent, negatione, ut ait Hermannus, familiari uſu repetita, ſequitur, ut ȣ̓δὲν γὰρ ȣ̓κ ἀλγεινὸν — ἔσθ' ὁποῖον ȣ̓ τῶν σῶν τε κἀμῶν ȣ̓κ ὄπωπ' ἐγὼ κακῶν non ſit, nihil triſte eſt, quod inter tua et mea mala non viderim; ſed nihil non triſte eſt, quod non viderim, i. e. omnia triſtia ſunt, quae non viderim, quod eodem redit, quo: omnia quae vidi, non ſunt triſtia, id quod aeque longe a Sophocli mente atque a ſequenti Hermanni abeſt explicatione: ȣ̓δὲν τῶν ἐμῶν κακῶν ȣ̓κ ἀλγεινὸν ὄπωπα. Quae deinceps ſequuntur, magnum habent ea documentum, quam facile ab opinionibus nimis cito conceptis in errores inducamur. Dixerat enim Hermannus, loqui Antigonam de patris et fratrum flagitiis. Ex οὔτ' ἄτης ἄτερ igitur quoquo modo extundendum erat: nihil flagitioſum, quum tamen, ut ἄτη ſit flagitium, quod, niſi a totius graecitatis, quod pronus ſum ut credam, a Sophocli certe uſu abhorret, planus verborum ſenſus eſſet: nihil ſine flagitio i. e. nihil non flagitioſum. Quid igitur faciendum? Omnia ſumma imis miſceri, coniuncta divelli, disiecta copulari, nihil prorſus ſua ſede intactum relinqui. Nam ἔσθ' ὁποῖον ȣ̓ transilit proxime antecedentia, et remotioribus οὔτ' ἄτης ἄτερ ſe adiungit. Itaque efficitur: οὔτ' ἄτης ἄτερ ἔσθ' ὁποῖον ȣ̓ i. e. „neque flagitii expers quidquam non“, quae denique eo trahi poſſunt, ut dicant: nihil flagitioſum. Effectum igitur eſt, ut οὔτ' ἄτης

ἄτερ idem ſit, quod οὔτ' ἄτης πλέων ſive οὔτε σὺν ἄτῃ. Quas praeterea commentus ſit vir acutiſſimus argutias ut orationem hac interpretatione labefactatam ſuſtentaret, haberetque, quid miſeris illis οὔτ' αἰσχρόν, οὔτ' ἄτιμον nudatis ſuaque ſede motis faceret, non adtinet dicere, quum vel ex primo hoc ſpecimine ſatis appareat, quantum ſit tanta iſta ſagacitas ſuſpicienda. Hoc tamen per ſcire velim, num graecae tantas orationis turbas probaturae fuerint aures.

V. 152. Chorus, qui eſt ſenum Thebanorum, exercitu Argivorum fugato, laetum victoriae diem carmine celebrans, Polynicem, ait, tanquam Jovis alitem cum exercitu Thebas eſſe adortum, ſed, quum tectis iam immineret, abiiſſe, priusquam ſanguine ipſe ſaturatus et urbs incendio conſumpta fuiſſet. Tum denique ſubiicit haec:

τοῖος ἀμφὶ νῶτ' ἐτάθη
πάταγος Ἄρεος, ἀντιπάλῳ
δυςχείρωμα δράκοντι.

quem ad locum Hermannus: „offenſionem, inquit, habent verba ἀντιπάλῳ δράκοντι de iisdem dicta, qui hucusque cum aquila comparari videbantur, praeſertim, quum conſentaneum ſit, hoc Thebanorum inſigne eſſe. Hoc dicit, tantus a tergo concitatus eſt ſtrepitus Martis, inſuperabilis propter adverſarium draconem;" quae quidem mihi verſio aliquanto, quam ipſa graeca verba obſcurior eſſe videtur. Nam neque video cuius a tergo ſtrepitus fuerit concitatus, neque cui fuerit inſuperabilis, nec denique quid ſit ſtrepitus inſuperabilis, niſi forte Thebani cum Argivis ſtrependo contenderunt.

Singula leviter perſtringamus. Non magno opus eſt ingenio, ut intelligamus, *νῶτα* dici eius qui fugiat, h. e. aquilae, quae h. l. ſignificat Argivos. *Πάταγος Ἄρεος* recte quidem vertitur: ſtrepitus Martis, ſed ſignificatur laetus ille clamor, qualis a victoribus edi ſolet. Similiter Aj. 168 Chorus de Graecis Aiaci abſenti inſultantibus: *ἀλλ' ὅτε γὰρ δὴ τὸ σὸν ὄμμ' ἀπέδραν, παταγοῦσι, ἅτε πτηνῶν ἀγέλαι μέγαν αἰγυπιὸν δ' ὑποδείσαντες, τάχ' ἂν ἐξαίφνης, εἰ σὺ φανείης, σιγῇ πτήξειαν ἄφωνοι*, ubi Hermannus" *παταγοῦσιν* de laeto avium ſtrepitu intelligi debere, quis non videat?" Eſt igitur *πάταγος Ἄρεος* i. q. v. 133 *τὸ τὴν νίκην ἀλαλάξαι*. Nam ne de ſtrepitu inter ipſam pugnam ſublato intelligamus, qualem habemus Trach. 515. *ἦν δὲ τόξων πάταγος ταυρείων τ' ἀνάμιγδα κεράτων*, et Eur. Heracl. 832. *πόσον τιν' αὔχεις πάταγον ἀσπίδων βρέμειν*, vetat additum *ἀμφὶ νῶτα*, quod aquilae fugam ſatis aperte indicare mihi videtur. Quum igitur clamor hic hoſtibus iam in fugam converſis edatur, alius intelligi non poteſt, quam qui eſt victoriam ſibi gratulantium.

Δυσχείρωμα neque eſt tractatu difficilis neque inſuperabilis, ſed quae toties Livio dicitur triſtis victoria. *Δυς* enim quum difficultatem tum infelicitatem ſignificare ſatis eſt notum. Itaque Antig. 584 *δύσπνοοι πνοαὶ* non ſunt vehementia ſed infauſta flamina, ſicut ibid. 587 *δυσάνεμον* Grammatici ab Hermanno allati interpretantur *κακοὺς ἀνέμους ἔχον*. Non adtinet rei ubique obviae plura adferre exempla velut *δύσγαμος, δύσνυμφος, δύσποτμος, δύσορνις*. *Χειροῦν* autem proprie eſt: manibus tractare, ut Oed. C. 703. *φύτευμ' ἀχείρωτον*, planta manibus non tractata; tum: tractare, ut Oed. C. 907. *χειρωθεὶς βίᾳ* violenter tractatus. *χειροῦσθαι* autem apud ipſum Sophoclem, ne ad alios provocem, ſaepe eſt ſuperare, ut Trach. 278 *εἰ γὰρ ἐμφανῶς ἠμύνατο Ζεὺς τἂν συνέγνω ξὺν δίκῃ χειρουμένῳ* iuſto victori veniam dediſſet. Oed. C. 1013. *ἀφ' ἧς σὺ κλέψας*

τὸν ἱκέτην γέροντ' ἐμέ αὐτόν τ'ἐχείρου, τὰς κόρας τ'οἴχει λαβών, quo loco quum imperfectum intelligendum ſit de conatu, hoc dicit: ipſum me ſuperare, i. e. ditionis tuae facere voluiſti. Trach, 1046 de Hercule caeca peſte correpto: ἀφράστῳ τῇδε χειρωθεὶς πέδῃ. Ibid. 1098. τὴν γε δράσασαν τάδε χειρώσαμαι κἀκ τῶνδε, illam autem, quae haec eſt machinata, in hoc etiam ſtatu male tractabo. Phil. 91. ȣ̓ γὰρ ἐξ ἑνὸς ποδὸς ἡμᾶς τοσούσδε πρὸς βίαν χειρώσεται, neque enim ille, altero tantum utens pede, nos, qui tot ſumus numero, vi ſuperabit. Conſentaneum igitur eſt, χείρωμα ſignificare 1) tractationem, quae habetur ſignificatio loco ab Erfurdt. l. Aeſch. VII. a. Th. τυμβοχόα χειρώματα i. e. tractationes in tumultum infundentes. i. e. libationes mortuis effuſae, 2) tractationem, qua quid ſuperatur, ut Oed. T. 559. ἄφαντος ἔρρει θανασίμῳ χειρώματι i. e. tractatione mortifera e mortalibus eſt ſurreptus, et Aeſch. Agam. l. l. δέλης θανέσης εὐμαρȣ̃ς χειρώματος — ſervae facili negotio peremptae. Δυςχείρωμα igitur proprie erit infelix ſuperatio, i. e. triſtis victoria. Triſtis autem illa victoria, vel potius funeſta erat Thebanis propter mutuam Eteocli et Polynicis caedem. Cum d r a c o n e denique comparantur Thebani, quod ſunt δρακογενεῖς, quam ad rem Sophocles adludit Antig. 1112. ἀγρίου τ'ἐπὶ σπορᾷ δράκοντος et Oed. C. 1531. σπαρτῶν ἀπ' ἀνδρῶν. Neque vero tam ineptus eſt Sophocles, ut quos modo cum aquila, eosdem nunc cum ſerpente comparet, qui, quam diligenter obſervet, quid cuique vel loco vel perſonae conveniat, non adtinet dicere. Pugna autem aquilae cum ſerpente a totius antiquitatis poëtis admodum celebrata ab Ariſtotele quoque memoratur Hiſt. Anim. 9. 1. ἔστι δ'ἀετὸς καὶ δράκων πολέμια· τροφὴν γὰρ ποιεῖται τȣ̀ς ὄφεις ὁ ἀετός. Hinc ſi colligi poteſt, quod poſſe videtur, ſerpentem oppugnari ab aquila, nova iam exſiſtit ſimilitudo, quae huic pugnae intercedat cum bello Thebano, Argivis, qui cum aquila comparantur, Thebas adortis, Thebanis autem, qui cum

dracone comparantur, propugnantibus. Ἀντίπαλος autem de ſerpente, cuius pugna eſt lucta, πάλη, aquilae reluctante, proprie dici nemo non videt. Denique quae Sophocles h. l. ſubobscure ſignificat, diſerte eloquitur v. 141 — 147 qui locus pro commentario noſtri haberi poteſt. Totum igitur locum verto: talis a tergo (fugientis aquilae) ſublatus eſt bellicus clamor (propter victoriam), triſtis draconi (Thebanis) contra (aquilam) luctanti victoria. Talis autem intelligitur clamor, qualis - id quod ſententiarum ordo poſtulat — tolli ſolet, ſi patria incolumi hoſtes abierunt; nam v. 120. ἔβα, πρὶν ποθ' ἁμετέρων αἱμάτων γένυσιν πλησθῆναί τε καὶ στεφάνωμα πύργων πευκάενθ' Ἥφαιστον ἑλεῖν

V. 262 et 263 librorum omnium eſt lectio;

εἷς γάρ τις ἦν ἕκαστος οὐξειργασμένος,
κοὐδεὶς ἐναργής, ἀλλ' ἔφευγε τὸ μὴ εἰδέναι

ubi Hermannus ſcripſit: ἀλλ' ἔφυγε τῷ μὴ εἰδέναι, quod ille vertit: ſed effugit eo, quod nesciebamus; quae violenta eſſe videtur verſio, quum, quod ille infert: τῷ ἡμᾶς μὴ εἰδέναι, neque aperte, neque implicite verba antecedentia contineant. In huiusmodi enim dicendi formumulis infinitivo aut diſerte ſuum adiicitur ſubiectum, velut Antig. 291. οὐδ' ὑπὸ ζυγῷ λόφον δικαίως εἶχον, ὡς στέργειν ἐμέ, i. e. neque, ut par erat, colla iugo ſubmittebant, ut mihi probari poſſent; Oed. T. 1038. ἦ κἄστ' ἔτι ζῶν, ὥστ' ἰδεῖν ἐμέ etiamne nunc vivit, ut ego eum videre poſſim; aut ex praecedentibus intelligitur, cf. Oed. T. 284, 1232, 1574, 1404, Trach. 224, Oed. C. 571, et pleraque exempla, quae contulit Herm. Aj. 114. Sicut igitur Oed. C. 496. λείπομαι γὰρ ἐν τῷ μὴ δύνασθαι, eſt: in eo relinquor ſtatu, ut (ire) non poſſim, ita ἔφυγε τῷ μὴ εἰδέναι vertendum erit: ſed

effugit eo, quod nesciit, quod, quum τῷ μὴ εἰδέναι omnes finiti temporis formas induere possit, eodem negotio dici potest, effugit eo, quod nesciret i. e. se nescire causabatur. Hermanni igitur lectio hoc modo explicata nihil habet, quo offendamur. Sed vetus lectio servari potest; nam ἔφευγε τὸ μὴ εἰδέναι est: scientiam declinabat, vel effugiebat, quemadmodum Oed. Col. 1736 sive cum Hermanno legis XO. καὶ πάρος ἀπέφυγε — ANT. τί; XO. τὰ σφῷν τὸ μὴ πιτνεῖν κακῶς, sive cum Elmsleio: καὶ πάρος ἀπεφυγέτην σφῷν τὸ μὴ πίτνειν κακῶς, sive denique cum Reisigio in Comment. crit. p. 408. XO. καὶ πάρος ἀπεφύγετ' — ANT. ὦ. XO. φωνῶ τὸ μὴ πιτνεῖν κακῶς· — quidquid igitur horum legis, coniungendum est: ἀποφυγεῖν τὸ μὴ πιτνεῖν κακῶς tristem declinare casum. Rectissime igitur Erfurdtius ad Platonis Sophist. nos adlegavit, p. 235. b. οὐκέτ' ἐκφεύξομαι τόδε γε. ΘΕΑΙ. τὸ ποῖον; ΞΕ. τὸ μὴ ἐκ τοῦ γένους εἶναι τοῦ τῶν θαυματοποιῶν τις εἷς — ; coniungenda enim sunt οὐκέτ' ἐκφεύξεται τὸ μὴ εἶναι, ubi Heindorfius eiusdem dicendi formulae exempla adfert haec: Parmen. §. 41 (ed. Heind.) οὐ πάντη ἂν ἤδη ἐκφύγοι το μὴ ἕτερα εἶναι ἀλλήλων et Xen. Anab. I, 3, 2. Κλέαρχος δὲ τότε μὲν μικρὸν ἐξέφυγε τοῦ μὴ καταπετρωθῆναι. Cf. Buttm. ad Dem. in Mid. p. 142. seq. Nostri igitur loci eadem est ratio, quae Antig. 531. ἢ 'ξομεῖ τὸ μὴ εἰδέναι i. e. an vero (con)scientiam abiuras. Quod enim Oed. 1005. legitur εἰ τῶνδε φεύγεις οὕνεκ' εἰς οἴκους μολεῖν, non addito μή, in eo tanta est dicendi libertas, ut v. c. Antig. 438 legatur: ἢ καταρνῇ μὴ δεδρακέναι τάδε, et Philoct. 118. οὐκ ἂν ἀρνοίμην τὸ δρᾶν.

Mira autem est Hermanni ratio dicentis: οὐκ ἔφυγον τὸ μὴ εἰδέναι esse: non devitavi, quominus scirem, i. e. omnino scivi, id quod nemo negavit neque negabit. Quid autem hoc ad nostrum locum? An quisquam eum intelliget sic, ut post ἀλλά repetat οὐδείς, velut: κοὐδεὶς ἐναργής, ἀλλ' οὐδεὶς ἔφυγε τὸ μὴ εἰδέναι — ? Ipsa adversativa enim particula ἀλλά satis docet, ex οὐδείς ad sequentia cogitan-

dum esse ἕκαστος, quemadmodum Eur. Hec. 600. σήμηνον Ἀργείοις — μὴ θιγγάνειν μου μηδέν', ἀλλ' εἴργειν ὄχλον quod non est: ἀλλὰ μηδένα εἴργειν ὄχλον, sed πάντας vel certe αὐτοὺς, τοὺς Ἀργείους εἴργειν ὄχλον. Quod igitur efficitur: ἀλλ' ἕκαστος ἔφυγε τὸ μὴ εἰδέναι, in eo Hermanni non versatur observatio. Quod denique Porsonus scripsit ἔφυγε, libri autem habent ἔφευγε; utrumque h. l. dici potest. Imperfectum enim de conatu est intelligendum: quisque conscientiam declinabat i. e. declinare cupiebat. Quum autem magis consentaneum sit, nuncium ea potius referre, quae re vera facta sint, quam quae quisque facere voluerit, aoristus h. l. praestat, qui, quam supine a librariis in imperfectum fuerit mutatus, multi docent loci, cf. Elmsl. ad Oed. Col. 1739.

V. 595 seq. Hermannus scripsit:

νῦν γὰρ ἐσχάτας ὕπερ
ῥίζας, ὃ τέτατο φάος ἐν Οἰδίπου δόμοις
κατ' αὖ νιν φοινία θεῶν τῶν
νερτέρων ἀμᾷ κόνις
λόγου τ' ἄνοια καὶ φρενῶν Ἐριννύς

Singula videamus. Ac primum quidem φάος apud Sophoclem aut spem salutis, aut salutem ipsam significat. Aj. 693. νῦν αὖ, νῦν ὦ Ζεῦ, πάρα λευκὸν εὐάμερον πελάσαι φάος θοῶν ὠκυάλων νεῶν — nunc rursus, nunc o Jupiter, in eo est ut adpropinquet splendida renidens salutis spes in navibus reposita; aut enim sperat Chorus fore, ut cum Aiace domum redeat, aut, quod veri est similius, ut ad naves, i. e. Graecorum castra, revertatur. Ibid. 387. ἰὼ σκότος, ἐμὸν φάος o tenebrae — i. e. o mors, mea salus. Oed. T. 980. καὶ μὴν μέγας γ' ὀφθαλμὸς οἱ πατρὸς τάφοι i. e. patris obitus magnam adfert spem. — Φάος τέτατο similiter dictum est,

atque Philoct. 819 ὄμμασι δ᾽ ἀντίσχοις τάνδ᾽ αἴγλαν, ἃ τέταται τανῦν. Locutionis fontem in eo reperire mihi visus sum, quod legendum puto Oed. T. 204 seq. Λύκει᾽ ἄναξ τά τε σὰ χρυσοστρόφων ἀπ᾽ ἀγκυλῶν βέλεα θέλοιμ᾽ ἂν ἀδάματ᾽ ἐνδατεῖσθαι ἀρωγὰ προς — ταθέντα, ubi vulgo scribitur προ-σταθέντα. Ferrem ἀσπίδα προσταθεῖσαν, aegre fero βέλεα προ-σταθέντα tela praesidii causa ante aliquem collocata. Absurde praeterea, si quid video, coniungitur βέλεα χρυσοστρόφων ἀπ᾽ ἀγκυλῶν προ-σταθέντα; admodum autem concinne βέλεα χρυσοστρόφων ἀπ᾽ ἀγκυλῶν προς — ταθέντα, tela aureo a nervo directa. Πρός autem in προς-ταθέντα ita capiendum est, ut intelligatur: πρὸς τὸν ἀπότιμον ἐν θεοῖς θεόν (v. 215). Neque enim in toto carmine tutelam adversus pestem exposcit Chorus, sed ut numina averrunca, impetu in λοιμὸν ἔχθιστον θεῶν facto, eum abigant, velut v. 166. εἴ ποτε — ἠνύσατ᾽ ἐκτοπίαν φλόγα πήματος, ἔλθετε καὶ νῦν sc. καὶ ἀνύσατε ἐκτοπίαν etc., et v. 194. παλίσσυτον δράμημα νωτίσαι πάτρας ἄπουρον. Itaque Iovem precatur v. 203. ὑπὸ σῷ φθίσον κεραυνῷ, Apollinem, quod est consentaneum, ut sagittis eum transfigat, Bacchum denique, ut facibus eum ardentibus adgrediatur v. 214 seq. Non memini quidem, me προστείνειν legere, analogia autem certe illud verbum non carere patet. Quemadmodum igitur solis radii, siquidem cum βέλεσι Φοίβου (cf. v. 162) comparantur, τείνεσθαι dici possunt, ita idem vocabulum ipsi quoque luci potest convenire. Similiter in Culice, quod carmen Virgilii operibus adnectitur, v. 100. Tendit radios Hyperionis ardor, lucidaque aethereo ponit discrimina mundo, qua iacit Oceanum flammas in utrumque rapaces. Nam quae habet Virg. Aen. 5, 508. oculos pariter telumque tetendit, ea diversam sequuntur rationem, quemadmodum, quae ad Charitonis τοὺς ὀφθαλμοὺς καὶ τὰς ψυχὰς ἐξέτειναν adfert Dorvilius p. 473.

᾽Επαμᾶσθαι κόνιν sive γῆν de pulvere vel terra mortuis aut plantarum radicibus iniicienda usitatum quidem fuisse,

post Dorvilii curas in Charitonem et Jacobsii in Anthologiam collatas est notum. Sed hanc interpretationem, quominus h. l. amplectar, duae officiunt res; una, quod Sophocles illum huius verbi usum non adgnoscit. De messe legitur Trach. 32. γήτης ὅπως ἄρουραν ἔκτοπον λαβὼν σπείρων μόνον προσεῖδε κἀξαμῶν ἅπαξ —; de demetendo sive amputando Philoct. 739. ἀπάμησον ὡς τάχιστα, intellige ἄκρον πόδα. Denique de exstirpando legitur loco, qui nostri admodum est similis, quemque in nostro interpretando tanquam ducem non sequi vix poterimus. Est autem ille Aj. 1156. κακὸς κακῶς ἄθαπτος ἐκπέσοι χθονός, γένους ἅπαντος ῥίζαν ἐξημημένος, αὕτως ὅπωσπερ τόνδ' ἐγὼ τέμνω πλοκόν, quo quidem loco, si quis γένους ἅπαντος ῥίζαν ἐξημημένος vertere vellet: cum tota stirpe obrutus (c. pulvere sepulcrali), illum profecto retinerent quae addita sunt: ὅπωσπερ τόνδ' ἐγώ τέμνω πλόκον. Alterum autem est, quod illud γῆν vel κόνιν ἀμᾶσθαι non nisi benificii et honoris causa fit; benificii causa in plantis, ut fibris melius radicentur; honoris causa in mortuis (cf. quae adtulimus de ἄτιμος v. 5.), ne insepulti proiiciantur. Hoc ita esse, facile docent quae ad Charitonem l. l. adtulit Dorvilius. Cautio igitur adhibenda est, ne, quae honoris et benificii causa fiunt, huc transferamus, ubi de totius generis agitur exstirpatione, quemadmodum Electr. 754 τὸ πᾶν δὴ δεσπόταισι τοῖς πάλαι προῤῥιζον, ὡς ἔοικεν, ἔφθαρται γένος. Nam, quod tertium videri posset, ἀμᾶσθαι de pulvere iniiciendo dici, ἀμᾶν autem non inveniri ita dictum, id quod Dorvilius l. l. adfirmat, illud quidem nihili est, quum Jacobsius ad Anthol. Tom. VII, p. 174. protulerit Antip. Sid. Ep. XCIX. πολλὰ τιθηνήτηρ ὀλοφύρατο, χερσὶν ἀμάσας Ἀνδρόμαχος δνόφεραν κρατὸς ὕπερθε κόνιν. Quid denique sit, quove modo dici possit: pulvis lucem obruit, non intelligat quisquam. Candela quidem et lumen i. e. corpus illud, quod lucem fundit, obrui potest; lux autem ipsa obrui ne lyrica quidem libertate dici potest, quae eos dumtaxat habeat fines, ut, quod per se est absurdum dicere ne liceat. Nam

ne radices intelligeremus obrutas, ipse Herm. diligentissime cavit, vetans, ne νιν ad ῥίζαν referremus, timens scilicet ne viviradices tantum absit ut humo contectae perirent, ut luxuriarentur.

Iam igitur interpretationem tot incommodis laborantem relinquere et loci ex Aiace adlati vestigia sequi praestabit. Ac primum quidem Hermannus invexit ὃ ante τέτατο, monitus, ut ait, a Scholiasta, qui ipse quidem in suo codice non habuisset pronomen ὃ (scribit enim: λείπει ἄρθρον τὸ ὃ) sed illud deesse ex adnotatione antiquioris interpretis collegisset, quem secutus sensum loci explicuisset. Illud non continuo dixerim, hoc autem videre mihi videor: siquis in sequentibus legit κατ', non autem κἆτ', ei necessario deesse videri pronomen ὃ, sive is est Scholiasta sive autiqior etiam interpres. Sed omnino periculosum fuerit, ultra Scholiastae lectionem regredi, qui quum aperte pronomen non habuerit — ut neque Triclinius; alioquin enim scribere non potuisset: δέον δὲ εἰπεῖν, αἱμᾶ δέ νιν, ὁ δὲ ἀσυνδέτως ἐπήγαγε — neque nos inferamus, sed eo, quod habent in explicatione Scholia rom., ἐτέτατο adquiescamus. Nam quid codices m. scr. habeant, praeter tres, qui habent τέτατο, nescitur, cf. Martin. Sylloge. Κἆτ' autem facili errore in κατ' mutari potuit; in iis enim literarum additamentis, in quibus haec tota res vertitur, ne bonorum quidem librorum magni esse solet auctoritas. Qui vero error simulac est admissus, necesse fuit, aut cogitatione in praecedentibus supplere ὃ, quod fecit Scholiasta, aut post αἱμᾶ intelligere δὲ, quod fecit Triclinius, aut, quod utroque audacior fecit Hermannus, in textum recipere ὃ. In mutila igitur scriptura κατ' omnium turbarum fontem nobis visi sumus deprehendisse.

Quod denique contra omnes libros legendum existimo κοπὶς pro κόνις, audaciae crimen vix effugerem, nisi habuisse, quod sequerer, videri possem. Quamvis enim sint

exigua, quae de ſcholiorum hiſtoria ad noſtram memoriam pervenerint, inter omnes tamen conſtat, ea quae nunc habeamus ſcholia ex multis magnisque obſervationum voluminibus excerpta eſſe et contracta. Iam quum in Scholiaſta habeamus: *ἀμᾷ κόνις. θερίζει καὶ ἐκκόπτει. ἢ καλύπτει* — quis ſibi perſuadeat, *θερίζει καὶ ἐκκόπτει* interpretationem eſſe verborum *ἀμᾷ κόνις*? quis non videt, illud *ἀμᾷ κόνις* explicari per *καλύπτει*, ut antea explicatum eſt: *λείψανον γενεᾶς, τοῦτο μέλλει καλύπτειν ἡ κόνις*, et a Tricl. *εἰκότως δὲ τὸ κόνις τέθειται. διότι γὰρ ἐκάλυψεν ἡ Ἀντιγόνη τὸν ἀδελφὸν Πολυνείκην κόνει, διὰ τοῦτο τεθνήξεσθαι ἔμελλε.* Non igitur negari poterit, *κόνις* iam ante Triclinii et Scholiaſtae tempora lectum eſſe; non magis autem negari nequit, et Scholiaſtae, quum ſcriberet *ῥίζαν θερίζει καὶ ἐκκόπτει*, et Triclinio ſcribenti, *τὴν ἐσχάτην ῥίζαν θερίζει καὶ ἐκκόπτει ὁ Ἅιδης*, et *ἤτοι καταμᾷ καὶ θερίζει καὶ καταβάλλει*, aliud quidpiam ob oculos fuiſſe. Haud igitur abſonum fuerit, putare, apud antiquum aliquem interpretem ſcriptum fuiſſe; *ἀμᾷ κοπίς, θερίζει καὶ ἐκκόπτει. ἢ κόνις, καλύπτει*, ex quibus ea, quae noſter habet Scholiaſta, fuerint coagmentata. Num vero *κοπὶς* iam antiquitus lectum ſit, nemo hodie pro certo adfirmaverit; ſed quum, quod ad veritatem propius adcedat, nihildum inventum ſit, in eo adquieſcendum erit, donec libri, denuo excuſſi, meliora dederint. Locus igitur noſter in hanc ſententiam dictus eſſe videtur: nunc enim ultimae Oedipodioniae gentis ſtirpi lux effulſerat (i. e. gens non tota interitura videbatur, quum Antigona Haemoni nuptura eſſet) et rurſus tamen cruenta deorum inferorum falx eam demetit. *Κἄτα* enim h. l. poſitum, ut Eur. Phoen. 598. ΠΟΛ. *δειλὸν δ' ὁ πλοῦτος καὶ φιλόψυχον κακόν.* ΕΤΕ. *κἄτα σὺν πολλοῖσιν ἦλθες πρὸς τὸν οὐδὲν ἐς μάχην.* Ne vero quis *ἀμᾶν φῶς*, ſpem praecidere, dure dictum exiſtimet, meminerit tragicos omnesque omnino poëtas ſaepiſſime rem ſignificantem commutare cum ſignificata. *Φῶς* autem h. l. intelligendum de propaginibus e radice caeſae arboris rena-

ſcentibus, quae proprie quidem demeti dicuntur. Trahi denique huc poteſt Porſonis praeceptum ad Eur. Hec. 297 prepoſitum: quum enim perſonam circumlocutione ſignificant Graeci, quam citiſſime ad ipſam perſonam revertuntur.

V. 670. Creon de anarchia loquens, dicit:

ἥδε σὺν μάχῃ δορὸς
τροπὰς καταῤῥήγνυσι. τῶν δ' ὀρθουμένων
σώζει τὰ πολλὰ σώματ' ἡ πειθαρχία.

Ac primum quidem ambiguum videri poſſit, utrum δορὸς ad τροπάς, an ad μάχῃ adiungendum ſit. Nam v. 661. δορὸς — ἐν χειμῶνι hoc, Aj. autem v. 1254. ἐν τροπῇ δορός illud ſuadere videtur. Sed μάχη δορὸς tautologice dictum eſſet, nam primo quidem adſpectu non alia cogitatur μάχη, niſi δορός; non autem aeque tautologice dicitur δορὸς — ἐν χειμῶνι, χειμὼν enim multarum poteſt eſſe rerum. Eo igitur inclino, ut loco ex Aiace enotato duce, coniungere malim δορὸς τροπάς, qua in re Hermannum habeo auctorem, quamquam non magnopere repugnaverim, ſi quis δορὸς inter dua ſubſtantiva ita collocatum exiſtimet, ut utroque trahi poſſit. Καταῤῥηγνύναι proprie eſt deiicere, — ut Eur. Herc. fur. 843, καὶ καταῤῥήξω μέλαθρα, καὶ δόμους ἐπεμβαλῶ, — i. e. facere ut proruat aliquid, quod, ubi in paſſivo uſurpatur, eſt proruere vel prorumpere, ut Eur. Alc. 1077 ἐκ δ' ὀμμάτων πηγαὶ κατεῤῥώγασιν, quod idem active dici potuiſſet τὰ δ' ὄμματα καταῤῥήγνυσι, πηγάς, ut in verbo ſimplici habemus Trach. 915 καὶ δακρύων ῥήξασα θερμὰ νάματα, ad quod adcedere poſſunt trita illa ῥῆξαι φώνην, ἔριδα, αὐδήν, φθόγγον. τροπὰς καταῤῥήγνυσι idem eſt, quod fugam prorumpit, ita intellectum, ut intelligendum eſt Virgilianum: (Aetna) **prorumpit nubem ad aethera**, Aen. 3. 572. Praepoſitionis autem in καταῤῥη-

γνύναι vis eadem eſt, quae in καταλέγειν, καταριθμεῖν, καταλογίζεσθαι. Quam vero Hermannus noſtri loci dat interpretationem: hoſtilia arma proelio fugata ſolvi, eam neque intelligeret quisquam, niſi ipſe explicuiſſet „amitti victoriam, hoſte ex fuga ſe colligente et in victores duci non parentes impetum dante," neque in verbis ea ineſt Sophocli, qui haec dicit admodum ſimplicia: anarchia proelio armatorum fugam prorumpit, i. e. facit, ut armati proelio fugiant.

Quod autem καταῤῥηγνύναι ſimul diſcerpendi, disrumpendi poteſtatem habet, velut τὰ παρασκευαζόμενα ἱμάτια (Dem. in Mid. p. 535. 2), ἐσθῆτα, πέπλους, id eo factum videtur, quod verba nonnulla pro obiecti grammatici diverſitate, diverſam induunt poteſtatem. Aliud enim eſt ἐνδῦσαί τινα, aliud ἐνδῦσαί τι. Itaque v. c. ταράττειν et τυρβάζειν proprie ſonant turbare aliquid; eſt autem ubi valeant: turbando aliquid efficere cf. Schaef. ad Lamb. Boſ. p. 324. Erf. ad Antig. 1326. Itaque Antig 788. σὺ καὶ τόδε νεῖκος ἀνδρῶν ξύναιμον ἔχεις ταράξας, ubi Musgr. adfert Oed. T. 486. δεινὰ μὲν οὖν, δεινὰ ταράσσει σοφὸς οἰωνοθέτας, i. e. ταράσσων ἡμᾶς δεινὰ λέγει. Similiter τυφλοῦν τινα eſt caecare aliquem, ſed τυφλοῦν ἕλκος (Antig. 960) eſt caecando vulnus infligere. Eadem ratio multorum eſt verborum intranſitivorum, quibus ita poteſtas transitiva adcedere videtur, quaemadmodum Electr. 122. τίν' ἀεὶ τάκεις — οἰμωγὰν i. e. quem ſemper eiulatum tollens diffluis? quo referri quodammodo poſſit ἁμαρτάνειν τι, peccando aliquid facere. ut Antig. 739. οὐ γὰρ δίκαιά σ' ἐξαμαρτάνονθ' ὁρῶ, i. e. ὁρῶ, σ' ἐξαμαρτάνοντα οὐ δίκαια ποιεῖν, ubi Musgr. comparat Aj. 1096 (1075) τοιαῦθ' ἁμαρτάνουσιν ἐν λόγοις ἔπη i. e. ἁμαρτάνοντες τοιαῦτ' ἔπη λέγουσιν. Sed ſatis ſit rei h. l. non niſi leviter perſtringendae.

In ſequentibus τῶν δ' ὀρθουμένων Hermannus Scholiaſta, qui habet τῶν ἀρχομένων, duce, de iis intelligit, qui, quum

obedientiam duci praeftiterint, recte faciant. Illa autem verbi ὀρθοῦσθαι poteftas fi non a totius Graecitatis, a Sophocli certe ufu abhorret. Quae enim eft prima verbi vis, eam habemus in fragmento Oenomai III, quod fervavit Athenaeus, ὥστε τέκτονος παρὰ σταθμὴν ἰόντος (?) ὀρθοῦται κανών — ficut fabri perpendiculum obfervantis amuffis dirigitur. Praeterea tropice ufurpatur, ut Oed. T. 39. ὀρθῶσαι βίον. Ibid. 46 et 51. ἀνόρθωσον πόλιν. Oed. C. 395. νῦν γὰρ θεοί σ' ὀρθοῦσι, πρόσθε δ' ὤλλυσαν, et v. feq. γέροντα δ' ὀρθοῦν, φλαῦρον, ὃς νέος πέσῃ. Elect. 408. πολλά τοι σμικροὶ λόγοι ἔσφηλαν ἤδη καὶ κατώρθωσαν βροτούς. Antig. 1143. τύχη γὰρ ὀρθοῖ καὶ τύχη καταῤῥέπει τὸν εὐτυχοῦντα τόν τε δυστυχοῦντ' ἀεί. Hinc ὀρθοῦσθαι proprie quidem fuam rem erigere i. e. profpero uti rerum exitu. Philoct. 1283. ἦν τόδ' ὀρθωθῇ βέλος. Electr. 751. καὶ τοὺς μὲν ἄλλους πάντας ἀσφαλεῖς δρόμους ὠρθοῦθ' ὁ τλήμων ὀρθὸς ἐξ ὀρθῶν δίφρων — et reliquos quidem curfus ipfe rectus curruque recto feliciter confecit. Aj. 161. καὶ μέγας ὀρθοῖτ' (fi. ἂν) ὑπὸ μικροτέρων i. e. potens infimorum ope victor evadit; denique Philoct. 809. τὸ γὰρ κακὸν τόδ' οὐκ ἔτ' ὀρθοῦσθαί μ' ἐᾷ. Sunt igitur οἱ ὀρθούμενοι victores, et Sophocles, qui in praecedentibus dixiffet, eos qui ducis imperio fe non audientes praeftarent, in fugam dari et victoriam amittere, nunc addit. qui autem dicto funt obedientes, non folum fuperiores proelio excedunt, fed plerique eorum fervantur; id quod una enunciatione poëta complectitur: victorum autem plerosque fervat obedientia. Neque aliud quidquam Scholiafta fibi voluiffe videtur, quum diceret οἱ ἀρχόμενοι; milites enim intelligit manipulares, utpote quorum effet duci praeftare obedientiam; in duce enim ipfo non potuit cerni πειθαρχία.

V. 777. Ἔρως ἀνίκατε μάχαν,
Ἔρως, ὃς ἐν κτήμασι πίπτεις,

ὃς ἐν μαλακαῖς παρειαῖς
νεάνιδος ἐννυχεύεις.
φοιτᾷς δ' ὑπερπόντιος, ἔν τ'
ἀγρονόμοις αὐλαῖς·
καί σ' οὔτ' ἀθανάτων φύξιμος οὐδείς,
οὔθ' ἁμερίων ἐπ' ἀν —
θρώπων· ὁ δ' ἔχων, μέμηνεν.

Quae ad hoc carmen Hermannus disputavit, iis pauca habeo quae addam. Carminis argumentum eſt, quod in primo verſu pronunciatur — Ἔρως, ἀνίκατε μάχαν — Amoris potentia. Inde poëta ad ſingula progreditur, ac primo quidem Haemonis et Antigonae amorem enumerare mihi videtur. Recte enim Herm. monet, ἐν κτήμασι πίπτεις eſſe: potentes invadis; nam πλοῦτος et ὄλβος apud Sophoclem haud raro ita uſurpantur, ut poteſtas et generis nobilitas ſimul intelligantur. Itaque Oed. T. 1063. Oedipus timens ne ἐκ τρίτης μητρὸς — τρίδουλος eſſe ſe appareat, de Iocaſta, ταύτην δ' ἐᾶτε, inquit, πλουσίῳ χαίρειν γένει, quod quam vim habeat, ſequentia docent v. 1069. τοὐμὸν δ' ἐγὼ κεἰ σμικρόν ἐστι, σπέρμ' ἰδεῖν βουλήσομαι· αὕτη δ' ἴσως, φρονεῖ γὰρ ὡς γυνὴ μέγα, τὴν δυσγένειαν τὴν ἐμὴν αἰσχύνεται. Ibid. 1192. Oedipus Thebarum imperium nactus dicitur κρατῆσαι τοῦ πάντ' εὐδαίμονος ὄλβου. Ibid. 381. ὦ πλοῦτε καὶ τυραννὶ — εἰ τῆσδέ γ' ἀρχῆς οὕνεκ' — Κρέων — μ' — ἐκβαλεῖν ἱμείρεται, ubi πλοῦτος et τυραννὶς coniuncta idem valent, quod τῆσδε ἀρχῆς. Aj. 130. εἴ τινος πλέον ἢ χειρὶ βρίθεις, ἢ μακροῦ πλούτου βάθει de fortitudine et potentia intelligendum videtur. Ibid. 482. ἐγὼ δ' ἐλευθέρου μὲν ἐξέφυν πατρός, εἴπερ τινὸς σθένοντος ἐν πλούτῳ, Φρυγῶν, νῦν δ' εἰμὶ δούλη, ubi δούλη utrique, et ἐλευθέρῳ et τῷ ἐν πλούτῳ σθένοντι opponitur. Electr. 638. Clytaemneſtra cum Aegiſtho rerum potita: καὶ μή με πλούτου τοῦ παρόντος εἴ τινες δόλοισι βουλεύουσιν ἐκβαλεῖν, ἐφῇς· ἀλλ' ὧδέ μ' αἰεὶ ζῶσαν ἀβλαβεῖ βίῳ, δόμους Ἀτρειδῶν σκῆπτρά τ' ἀμφέπειν τάδε, ubi σκῆπτρα ἀμφέπειν docent, quid ſit

πλῦτος ὁ παρών. Ibid. 72. Orestes deos precatur, ut se faciant ἀρχέπλυτον καὶ καταστάτην δόμων. cf. El. 1080 et 1385. Quum igitur πλῦτος tam saepe de potentia dicatur, quidni κτήματα. In eo autem ab Hermanno dissentio, quod ille Creontem significari existimat, ego Haemonem. Tantum enim abfuit, ut Creon Amoris potentiae cederet, ut ei usque ad filii necem reluctaretur. Haemonen autem Amor subegerat. Satis enim patet, potentiam Amoris h. l. ita celebrari, ut omnes ad amandum impellat, non autem ita, ut, qui Amori vel amantibus repugnent, gravissimis poenis adficiantur, id quod clarius etiam ex huius strophae fine patet, ubi quicunque Amori succumbunt hoc versiculo comprehenduntur: ὁ δ' ἔχων (sc. σὲ — τὸν Ἔρωτα) μέμηνεν, quod in Creontem non cadit. Sequentis denique strophae initium: σὺ καὶ δικαίων ἀδίκους φρένας παρασπᾷς ἐπὶ λώβᾳ, de Haemone patri obedientiam negante intelligendum est, quia sequitur νικᾷ δ' ἐναργὴς βλεφάρων ἵμερος εὐλέκτρου νύμφας, quod a Creonte est alienissimum. Hinc autem sequitur, ut, quod est alterum, νεάνιδα dici Antigonam opiner. Nobilem enim virginem νεᾶνις indicare videtur eo, quo praeterea apud Sophoclem legitur loco, Trach. 306. ὦ δυστάλαινα, τίς ποτ' εἶ νεανίδων; ἄνανδρος ἢ τεκνοῦσσα; πρὸς μὲν γὰρ φύσιν πάντων ἄπειρος τῶνδε, γενναία δέ τις. Quod denique Orestes Elect. 740 dicitur νεανίας, ei quidem rei ipse non multum tribuo; quum vero totus sententiarum ordo Antigonam h. l. designari iubeat, neque illud praetermittendum duxi.

V. 781. et 782. φοιτᾷς δ' ὑπερπόντιος, ἔν τ' ἀγρονόμοις αὐλαῖς interpretes ita acceperunt, ut Amorem per maria et stabula vagantem et pisces bovesque amore incendentem intelligerent. Qua in interpretatione primum male me habet sententiarum ordo, qui est is, ut Amor primum nobiles et potentes, deinde bestias et pisces, denique in-

mortales et mortales universos subigere dicatur, quo quidem ineptius constitutum vix consingere possis. Tum de Amore piscium in mari viventium amorem inflammante non credo dici posse ὑπερπόντιος φοιτᾷ, i. e. ὑπὲρ τὸν πόντον φοιτᾷ, quemadmodum Oed. T. 166. ἐκτοπίαν ἠνύσατε est ἠνύσατε ἐκ τῶν τόπων, ibid. 1335. ἀπάγετ' ἐκτόπιον i. e. ἀπάγετ' ἐκ τῶν τόπων, Oed. C. 232. ἔκτοπος ἔκθορε. Trach. 645 ὃν (Ἡρακλέα ἀναμίμνομεν) πελάγιον i. e., quem per mare adventantem exspectamus. Ὑπερπόντιος φοιτᾷ est igitur trans maria ruit, quemadmodum Antig. 1130 μολεῖν ὑπὲρ — στονόεντα πορθμόν — per fretum aestuans adcedere, quorum utrumque non nisi de eo dici potest, qui trans mare habet negotia, neutrum vero de eo, cui in ipso maris cursu aliquid est procurandum. Hoc enim postremum ubi dicendum est, alia Sophocles habet vocabula, velut εἰνάλιος (Antig 345.) θαλάσσιος (Oed. T. 1399.); quorum aliquo uti potuisset, nam ὕφαλος, quod habemus Antig. 585, de Amore dictum haud sane probetur. Quod autem haec vocabula metro, quod nostro habemus loco, adversari videntur, id ita verum est, ut nemo probatus poëta metro coactus inepte sit locutus, neque quisquam ita sit interpretandus, ut, quum meliora dicere potuisset metri causa deteriora dixisse eum existimemus.

Ἀυλή apud Sophoclem nunquam de pecudum stabulis, sed ubicumque legitur, de hominum capiendum est domiciliis. Itaque Trach. 201. φωνήσατ', ὦ γυναῖκες, αἵ τ' ἔσω στέγης, αἵ τ' ἔκτος αὐλῆς, ubi στέγη et αὐλή sunt ἐκ παραλλήλου positae. Philoct. 152. νῦν δέ μοι λέγ', αὐλὰς ποίας ἔνεδρος ναίει, καὶ χῶρον τίν' ἔχει — nunc mihi dicas, quali in domo et quibus locis degat. Ibid. 158. τίνα ἔχει στίβον, ἔναυλον ἢ θυραῖον — quae (i. e. ubi) habet vestigia, utrum intus an foris. Ibid. 714, Chorus de Neoptolemo Philoctetam in patriam reducturo: πατρῴαν ἄγει πρὸς αὐλάν, nisi forte ad paternos eum boves est reducturus, ho-

rumque flagraverat Philocteta desidero. Iam Philoctetae longo spelunca recessu αὔλιον dicitur Philoct. 19, 942. ipsiusque in ea commoratio αὐλίζειν. Hinc composita πάραυλος Oed. C. 789. atque Aj. 876., et σύναυλος Oed. T. 1119. atque Aj. 605. de vicinitate dicuntur. Αὐλαὶ igitur ἀγρόνομοι sunt stabula agrestia, quemadmodum Virg. Aen. VII, 511 at saeva dea ardua tecta petit stabuli, stabula, Heynio interprete, intelligit pastorum tuguria.

Non autem aeque cito dixerim, scribendumne sit ἀγρόνομοι, an ἀγρονόμοι, utrumque enim habet, quo commendari possit. Αὐλαὶ enim ἀγρονόμοι, stabula, quae rus incolunt, poëtica dici potest libertate; propius autem ad veritatem accedit, ea cogitare domicilia, quae ruri incoluntur, i. e. αὐλαὶ ἀγρόνομοι, quemadmodum scripsit Hermannus Oed. T. 1096. πλάκες ἀγρόνομοι, ubi, quod priores habent editiones, ἀγρονόμοι, durius etiam dictum esset, quam αὐλαὶ ἀγρονόμοι. Denique βούνομος ἀκτά Electr. 175. utroque modo scribi posse videtur, et βούνομος, ora bubus depasta, et βουνόμος ora boves pascens; hoc tamen praestare videtur, utpote magis poëtice dictum, h. e., ne nihil dixisse videar, quod orae vim et voluntatem tribuit.

Φοιτᾶν h. l. dictum est, ut Oed. T. 479. φοιτᾷ γὰρ ὑπ' ἀγρίαν ὕλαν, quod dicitur Oed. Col. 349. πολλὰ μὲν κατ' ἀγρίαν ὕλην ἄσιτος νηλίπους τ' ἀλωμένη, modo quod φοιτᾶν cum furore et vehementia est coniunctum, velut Philoct. 797. ὀξεῖα φοιτᾷ καὶ ταχεῖ' ἀπέρχεται, i. e. Cicerone de Fin. II. 29. interprete: si gravis dolor, brevis; et de Oedipo, quum furore correptus transit, dicitur Oed. T. 1255.

Iam igitur hanc huius loci effecimus interpretationem: ruis trans maria, vagaris inter stabula agrestia, i. e. amorum concilias inter eos, qui maris fluctibus sunt seiuncti, et inter eos, qui in ruris solitudine degunt. Sophoclem notas interdum fabulas sequi neque mirum, et ab inter-

pretibus nonnunquam est animadversum, quin etiam alius poëtae sententiam ei obversatam fuisse animadvertit ad Antig. 564. Erfurdtius. Quidni igitur hoc quoque loco fabula de Leandri et Heronis amoribus poëtae animo obversata videri possit? Licet enim carmen illud, quod habemus a Musaeo Grammatico quinto demum saeculo compositum sit, fabulam tamen ipsam ex celebratissimis fuisse, vel ex ipso Virgilio discas, qui rem ne nomine quidem iuvenis addito tangit Georg. 3. 258; Ovidium autem (Heroid. Ep. XVIII. et XIX.) fabulam pro satis antiqua habuisse, vel ex nominibus colligas eorum quibus reliquas inscripsit epistolas. Quam ob causam haud iniuria ad Virg. l. l. Ioh. H. Voss: Die — Geschichte des — Leander's — — war damals durch Gedichte bekannt, deren Nachhall in Ovid's Heroiden und der Erzählung des Grammatikers Musaeus übrig ist. — Sed quidquid illud est, sive iam Sophoclis aetate fabula illa fuit celebrata, sive recentiore demum aevo inventa, sententia quidem neque poëta est indigna, neque ab hoc loco aliena. Quod autem Amor φοιτᾷν ἐν ἀγρονόμοις αὐλαῖς in casis agrestium pastorumque amores conciliare dicitur, exemplis illud quidem non eget, re a multis antiquitatis poëtis celebrata.

Habemus igitur h. l. gradationem quandam, non amantium illam quidem dignitatis, sed Amoris potentiae. Potentes enim et nobiles virgines in regiarum vel magnarum urbium luce degentes sunt cogitandae. Dicit ergo Chorus: Amor impugnat potentes, sed, quod maius est, inter eos, qui seiuncti sunt, amorem conciliat; denique, quod est maximum, nemini parcit. Singulae autem partes denuo sunt divisae, atque ita quidem, ut, quod fortius dictu videatur, priori positum sit loco. Itaque factum est, ut in prima parte priori loco diceretur ἐν κτήμασι πίπτεις, quod, ut vidimus, de Haemone intelligendum videtur. Totum enim Chori carmen in iis versatur ex iis-

que est aptum, quae Haemo in proxime antecedentibus dixerat et facturum esse sese professus erat. In secunda parte priori memorantur loco, qui maris fluctibus sunt disiuncti, quia difficilius etiam est, inter hos amorem conciliare, quam inter eos, qui in ruris solitudine degunt. Cur denique in tertia parte priores memorentur dii immortales, iam non adtinet dicere. Itaque eandem fere nostro loco habemus gradationem, quam in Phaedrae fragm. IV, quod attulerunt testimonium amoris ab Erote in piscibus incensi. Est autem hoc:

Ἔρως γὰρ ἄνδρας ὀ μόνους ἐπέρχεται,
ὀδ' αὖ γυναῖκας, ἀλλὰ καὶ θεῶν ἄνω
ψυχὰς ταράσσει, κἀπὶ πόντον ἔρχεται.
καὶ τόνδ' ἀπείργειν ὀδ' ὁ παγκρατὴς σθένει
Ζεύς, ἀλλ' ὑπείκει καὶ θέλων ἐγκλίνεται.

Nam *ἐπὶ πόντον ἔρχεται* est: deos marinos adoritur, non autem, quod putaverunt, pisces, nisi forte praestat, deos superos inter ipsumque Iovem medios facere pisces. Denique totius loci eadem est conformatio atque nostri. Tria sunt membra, sequens quodque gravius, singulis rursus ita bipartitis, ut, quod potius videatur, priorem occupet locum, extremo autem, quod, quoniam de uno agebatur Iove, dividi non potuit, indiviso relicto. Hoc igitur dicit: non viros solum atque mulieres invadit, sed deorum etiam superorum animos perturbat atque marinos adoritur; neque ipse summus Iuppiter eum arcere valet. Quibus praeterea locis Sophocles Amoris potentiam praedicat, iis in eandem loquitur sententiam, non autem piscibus et bubus advocatis, v. Trach. 441

Ἔρωτι μὲν γοῦν ὅστις ἀντανίσταται
πύκτης ὅπως ἐς χεῖρας, ὀ καλῶς φρονεῖ.
οὗτος γὰρ ἄρχει καὶ θεῶν, ὅπως θέλει,
κἀμοῦ γε· πῶς δ' ὀ χἀτέρας, οἵας γ' ἐμοῦ.

quaeque ibid. 497. maiori ennunciantur ſpiritu de amore:

Μέγα τι σθένος ἁ Κύπρις ἐκφέρεται νίκας ἀεί.
καὶ τὰ μὲν θεῶν
παρέβαν, καὶ ὅπως Κρονίδαν ἀπάτασεν, οὐ λέγω,
οὐδὲ τὸν ἔννυχον Ἅιδαν,
ἢ Ποσειδάωνα, τινάκτορα γαίας·
ἀλλ᾽ ἐπὶ τάνδ᾽ ἄρ᾽ ἄκοιτιν
τίνες ἀμφίγυοι κατέβαν πρὸ γάμων, τίνες
πάμπληκτα παγκόνιτά τ᾽ ἐξ-
ῆλθον ἄεθλ᾽ ἀγώνων.
ὁ μὲν ἦν ποταμοῦ σθένος, ὑψίκερω τετραόρου
φάσμα ταύρου,
Ἀχελῷος ἀπ᾽ Οἰνιαδᾶν· ὁ δὲ Βακχείας ἄπο
ἦλθε — — Θήβας, — — — παῖς Διός.

Non ergo amoris potentiam celebrans Sophocles piſces boveſque eius inſtinctu amare dicit, — nam in illo *φάσματι ταύρου* deus latet Achelous — ſed ſummos deos, quique ad hos proxime adcedunt. Fragmenti denique inc. XXIII, ex quo ab Erfurdtio adferuntur haec:

εἰσέρχεται μὲν ἰχθύων πλωτῷ γένει
ἔνεστι δ᾽ ἐν χέρσου τετρασκελεῖ γονῇ

ratio plane eſt diverſa. Loquitur enim ibi Sophocles non tam de Amoris dei potentia, quam de variis, quas induat amor vel potius libido, formis, deque omnibus qui eum foveant animantibus. Recte igitur illo loco beſtiae nominantur, ſed vel ipſe, quo nominantur, ordo, qui admodum eſt concinnus et venuſtus, cautos facere potuit interpretes, ne noſtro loco et Phaedrae fragm. IV. idem dictum putarent ordine prorſus perverſo et qui non niſi Comico eſt dignus. Aegre a me impetro, ſed, ne vana commentus videar, faciendum eſt, ut totum deſcribam fragmentum.

Ὦ παῖδες, ἥ τοι Κύπρις οὐ Κύπρις μόνον,
ἀλλ' ἔστι πολλῶν ὀνομάτων ἐπώνυμος.
ἔστιν μὲν Ἅιδης, ἔστι δ' ἄφθιτος βία,
ἔστιν δὲ λύσσα μαινάς, ἔστι δ' ἵμερος
ἄκρατος, ἔστ' οἰμωγμός. ἐν κείνῃ τὸ πᾶν,
σπουδαῖον, ἡσυχαῖον, ἐς βίαν ἄγον.
ἐντήκεται γὰρ πνευμόνων ὅσοις ἔνι
ψυχή· τίς οὐχὶ τῆσδε τῆς θεοῦ βορά;
εἰσέρχεται μὲν ἰχθύων πλωτῷ γένει,
ἔνεστι δ' ἐν χέρσου τετρασκελεῖ γονῇ,
νωμᾷ δ' ἐν οἰωνοῖσι τοὐκείνης πτερόν,
ἐν θηρσίν, ἐν βροτοῖσιν, ἐν θεοῖς ἄνω.
τίν' οὐ παλαίουσ' ἐς τρὶς ἐκβάλλει θεῶν;
εἴ μοι θέμις, θέμις δὲ τἀληθῆ λέγειν,
Διὸς τυραννεῖ πνευμόνων, ἄνευ δορός·
ἄνευ σιδήρου πάντα τοι συντέμνεται
Κύπρις τὰ θνητῶν καὶ θεῶν βουλεύματα.

Quod autem multi poëtae in Amoris potentia praedicanda eo uſi ſunt argumento, quod beſtias adeo ad amandum impelleret, illud hic non morandum eſſe arbitror. Multi enim multa dixerunt, quae Sophocles neque dixit unquam, neque dicere voluerit, qui quanto v. c. Euripide fuerit verecundior, ad Oed. C. 656. οὔ τοι σ' ὑφ' ὅρκου γ' ὡς κακὸν πιστώσομαι, monuit Reiſigius, id quod aliis rebus haud paucis demonſtrari poteſt. Sed ea disquiſitio neque huius eſt loci, neque intra arctos huius ſcriptiouis fines cohiberi poteſt, res autem a nemine, cui uterque poëta ſit familiaris, ignoratur. Sed erunt fortaſſe, qui h. l. bubus et piſcibus amantibus aegre careant, in meaque interpretatione antiquitatis guſtum et ſaporem deſiderare ſibi videantur; hi autem, velim, meminerint, ipſam verborum interpretationem primam nobis beſtiarum ex hoc nitidiſſimo loco abigendarum mentem inieciſſe.

Pſcr. Plura etiam ſcripturus eram, ſed libellus ultra fines ſuos iam accreverat, et typothetae operae erant expeditiores, quam meae ſubſecivae. Hinc autem factum eſt, ut bis alio loco rem a me explicatum iri promiſerim, quam non explicui, et ſemel (Antig. 1029.) lectionem de mea ſententia mutaverim, cuius mutationis rationem non reddidi. Hoc monendum duxi, ne fidem feselliſſe viderer.